

*Epistola formata Attici episcopi Constantinopolitani.*

Græca elementa litterarum, numeros etiam exprimeret, nullus qui vel tenuiter Græci sermonis notitiam habet ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos Latinus formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temere præsumeretur, hoc a Patribus 114 trecentis decem et octo Nicæa congregatis saluberrime inventum est et constitutum, ut formatae epistolæ hanc calculationis seu supputationis habeant rationem, id est, ut assumantur in supputatione prima Græca elementa Patris, et Filii, et Spiritus sancti, hoc est Π, Υ, Α, quæ elementa octogenarium et quadrigentesimum et primum signi-

flicant numerum, Petri quoque apostoli prima littera id est Π, qui numerum octogenarium significat, ejus quoque qui scribit episcopi prima littera, cujus scribitur secunda, accipientis tertia, littera civitatis quoque de qua scribitur quarta, et indictionis, quæcunque est temporis, idem qui fuerit numerus assumatur: atque ita his omnibus Græcis litteris quæ, ut diximus, numeros exprimunt in unum ductis, unam quæcunque collecta fuerit summam epistola teneat: hanc qui suscipit, omni cum cautela requirat expressum, addat præterea separatim in epistola etiam nonagenarium et nonum numerum qui secundam Græca elementa significant Γ Θ.

## AFRICÆ CONCILIA.

### XII

#### CONCILIIUM CARTHAGINENSE PRIMUM

##### QUINQUAGINTA \* EPISCOPORUM.

Cum Gratus episcopus Carthaginis in concilio una cum collegis suis consedisset<sup>b</sup> et qui ex diversis provinciis Africanis ad Carthaginem convenissent, Felix<sup>c</sup> Bajanensis, Fortunatianus Capsitanus, Crescentius Bagensis, Vindicius Lacubacensis, Abundantius Adrumetinus, Privatus Bejeisulitanus, Gaudentius Turretamalliensis, Epartius Sicensis, Quietus Uticensis, Romulus Tebestinus, et cæteri quorum manus continentur, idem Gratus episcopus dixit: Gratias Deo omnipotenti et Christo Jesu, qui dedit malis schismatibus<sup>d</sup> finem et respexit Ecclesiam suam; ut in ejus gremium erigeret universa membra dispersa; qui imperavit religiosissimo Constantio<sup>e</sup> imperatori ut votum gereret unitatis, et mitteret ministros operis sancti famulos Dei Paulum et Marcium, Ex Dei ergo nutu congregati ad unitatem ut per diversas provincias concilia celebraremus et universæ provinciæ Africæ hodierno die concilii gratia ad Carthaginem veniretur: unde considerantibus vobis cum mediocritate mea, tractentur tituli necessarii, de quibus necesse est nos memores præceptorum divinatorum et magisterii Scripturarum sanctarum, contemplantes unitatis tempus, id de singulis definire, quod nec Carthago vigorem legis infringat, nec tamen tempore unitatis aliquid durissimum statuamus.

**115** I. *Ut baptismus in Trinitate susceptus non iteretur.*

Ergo, si vobis placet, consideremus primum titulum

<sup>a</sup> Deerat episcoporum numerus in Codice Lucensi, qui in reliquis cum A. conveniebat.

<sup>b</sup> Ex *Æ.*, B. R., T. 1, 2, U., G. In A. et E. 3, *resedisset.*

<sup>c</sup> In *Æ.*, B. R., E. 3, T. 1, 2, nomina episcoporum in casu ablativo locata sunt: *Felice, Fortunatiano, etc.*

<sup>d</sup> T. 1, 2, *malis schismatis.*

II. *De rebaptizationis* f; et sanctitatem vestram postulo ut mentis vestræ placita producat, an descendente in aquam et interrogatum in Trinitate secundum Evangelii fidem et apostolorum doctrinam et confessum bonam conscientiam in Deum de resurrectione Jesu Christi, liceat iterum interrogari in eadem fide et in aqua iterum tingi? Universi episcopi dixerunt: Absit; illicitam enim esse sancti rebaptizationem, et satis esse alienam a sincera fide et a catholica disciplina.

*II. De martyrum sepulcris et honorificentia.*

Gratus episcopus dixit: Magna beatitudo a Deo Patre per Christum Dominum concessa est tempore nostro, ut liceat religiosis mentibus insinuare ecclesiasticam disciplinam, ut auditores percipientes regulam rectam et Deo placeant et præmia meritorum honorum percipiant, ut in ipsis Deus in omnibus et pro omnibus honoretur. Discussus est titulus necessarius rebaptizationis, in quo [T. 2, in qua] plus schismaticis rabies delitescebat, et adhibita moderatione, legis vigor et auctoritas custodita est: illud sane sapientissimis vestris sensibus insinuare contendo, licet vestra prudentia sit instructa et a Deo docta, et mereatur in pace et unitate consequi desuper munera larga, tamen et ego unus ex vobis et qui parem vobiscum sollicitudinem geram propter ecclesiasticum ordinem illud insinuare curabo: martyrum dignitatem nemo profanus infamet, neque passiva corpora que sepulturæ tantum propter mi-

<sup>e</sup> T. 1, 2, *Constantino.*

<sup>f</sup> In Codicibus: *rebaptidationis*. Aliis vero locis quidam Codices *rebaptizatio*, quidam *rebaptidatio* scribere solent: atque in uno eodemque Codice diversam hujus vocis scripturam reperire fas erit.

<sup>g</sup> *Æ.*, B. R., T. 1, 2, U., G., *dixerunt: Absit, absit.*

sericordiam ecclesiasticam commendari mandatum est redigant, aut insania præcipitatos aut alia ratione peccati discretos, non ratione vel tempore competenti quo martyria celebrantur, martyrum nomen appellent: aut si quis in injuriam martyrum claritati eorum adjungat insanos, placet eos si laici sunt, ad poenitentiam redigi: si autem sunt clerici post communionem<sup>a</sup> et post cognitionem honore privari. Universi dixerunt: **116** Recte statuit sanctitas vestra; hoc et singulis conciliis statutum est.

III. *Ut clerici vel sanctimoniales feminæ cum extraneis viris vel feminis non habitent.*

Gratus episcopus dixit: Et illud præcipue, si videtur vestræ dilectioni, cavendum est ut pastoris coram quantum debet et potest regalis providentia tota præmuniat, ut nullis liceat extraneis ab affectu carnali abstinentibus diverse pariter commorari; occasiones enim amputandæ sine peccatorum, et tollendæ omnes suspiciones, quibus subtilitas diaboli sub prætextu charitatis et dilectionis incautas animas vel ignaras irretire consuevit. Nullus igitur et nulla sanctimoniarum et virginitati deserviens propter blasphemiam Ecclesiæ, si vobis placet, in una domo penitus commorari non debet. Universi dixerunt: Qui nolant nubere et pudicitiam meliorem eligunt partem vitare debent non solum habitare simul, sed nec habere ad se aliquem accessum: hoc ergo et lex jubet et sanctitas vestra commendat, hoc et in singulis conciliis a nobis statutum est<sup>b</sup>. Gratus episcopus dixit: Ergo persuasio interdum prudentes solet arcere a peccatis, cum imprudentes debet metus hujusmodi constringere, si sanum consilium respiciunt et salutare mandatum; si ergo laici sunt, post communionem si contempserint, a communione separentur; si clerici sunt, honore priventur. Universi dixerunt: Placet, placet.

IV. *Ut cum viduis vel viduabus extraneæ personæ non commorentur.*

Gratus episcopus dixit: Etsi infinita sunt quæ lege præscripta sunt proficiencia disciplinæ, et unusquisque nostrum tractatu assiduo et communionem frequentant singulas quasque species proficientes ad disciplinam poterit populis intimare; tamen aliqua ex his propter blasphemiam suggerenda sunt a nobis et in concilio statuenda: si videtur vobis, pari sententia teneantur etiam hi, qui cum viduis commorantur et nulla cum se germanitate conjuncti sunt. Universi dixerunt: Et juxta viduos et viduas eadem lex maneat et sententia.

**117** V. *Ut clerici et laici in alterius ecclesia non ordinentur.*

Privatus episcopus Bejeiselitanus dixit: Suggero sanctitati vestræ, ut statuatis non debere clericum alienum ab aliquo suscipi sine litteris episcopi sui,

A neque apud se detinere, sed neque laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum ordinet sine conscientia ejus episcopi de cujus plebe est. Gratus episcopus dixit: Hæc observata res pacem custodit, nam et memini sanctissimi concilii Sardicensis similiter statutum, ut nemo alterius plebis hominem sibi usurpet, sed si forte erit necessarium ordinationi, ut de vicino homo sit necessarius, petat a collega suo et consensum habeat<sup>c</sup>.

VI. *Ut clerici actus sæcularium vel procuraciones non suscipiant.*

Nicasius episcopus Culusitanus dixit: Credo placere suggestionem meam sanctitati vestræ, et displicere vobis ut qui serviunt Deo et anxii sunt clero accedant<sup>d</sup> ad actus et administrationem vel procuracionem domorum. Gratus episcopus dixit: Et apostolorum statuta sunt quæ dicunt: *Nemo militans Deo ingerit se negotiis sæcularibus*: proinde aut clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio clericorum. Universi dixerunt: Hoc observemus.

VII. *Ut clerici vel laici in aliena ecclesia non communicent sine litteris episcopi sui.*

Cassianus Usulensis episcopus dixit: Statuat gravitas vestra, ut unusquisque clericus vel laicus non communicent in alia plebe sine litteris episcopi sui. Gratus episcopus dixit: Nisi hoc observatum fuerit communicatio fiet passiva; nam si cum litteris receptus fuerit, et concordia inter episcopos servatur<sup>e</sup> ut nemo subtilis alterius fugiens communionem ad alium latenter accedat. Universi dixerunt: Omnibus provides et clero et laicis consulens<sup>f</sup>.

VIII. *Ut implicati negotiis alienis, nisi antea reddita ratione clericis non ordinentur.*

Magnus episcopus Astuagensis dixit: Quid dilectioni vestræ videtur, procuratores et actores, tutores etiam seu curatores pupillorum si debeant ordinari? Gratus episcopus dixit: Si post deposita universa et reddita **118** ratiocinia<sup>g</sup> et actus vitæ ipsorum fuerint comprobati in omnibus, debeant et cum laude cleri si postulatus fuerit honore munerari; si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum ab aliquo sine consideratione fuerit ordinatus, Ecclesia infamatur. Universi dixerunt: Recte omnia statuit sanctitas tua; ideo quæ tua est, nostra est quoque sententia.

D IX. *Ut laici clericos actores vel ratiocinatores sibi non constituent.*

Mettun Cannensis<sup>h</sup> episcopus dixit: Recte statutum est ut obnoxii negotiis alienis non ordinentur; tamen si dimissi, et gratias referre debent et a clericorum injuria temperare: et ipsis non liceat vel dominis clericos nostros eligere apothecarios vel ratiocinatores. Gratus episcopus dixit: Nulli dubium est quod omnes vel domini vel procuratores vel quicum-

<sup>a</sup> Ex *Æ.*, T. 2, U., G. In A. et reliquis: *communione*.

<sup>b</sup> U. G., a nobis sic confirmatum aut statutum est.

<sup>c</sup> *Æ.*, B. R., T. 1, U., G., concessum habeat.

<sup>d</sup> In Codicibus..... non accedant.

<sup>e</sup> U., et nemo..... accedet.

<sup>f</sup> Ex reliquis Codicibus desumpta hæc lectio. In A., ut clericis et laico consulentes.

<sup>g</sup> Ex U. In A. et reliquis, *ratiocinia si actus*: additur itaque si quod redundare visum est.

<sup>h</sup> *Æ.*, Mettucanensis. T. 2., Metun canonensis. U., G., Met Tuncanensis.

que præsunt, cum audierint saluberrima instituta concilii et sibi esse consultum nec impeditum, propriam imbibebunt injuriam in clericis nostris; quod si in injuriam constitutionis imperatoriae clericos inquietandos putaverint, et defenso ecclesiastica non deerit et pudor publicus vindicabitur. Universi dixerunt: Saluberrimæ provisiones debuerunt tanto condicio concilio.

X. *Ne episcopus alterius episcopi plebes aut fines usurpet.*

Felix episcopus Bajensis dixit: Nullus debet collegæ facere injuriam, multi enim et transcendunt suas et usurpant alienas plebes, ipsis invitis. Gratus episcopus dixit: Avaritiæ cupiditatem<sup>a</sup> radicem omnium malorum esse nemo est qui dubitet<sup>b</sup>: proinde inhibendum est ne quis alienos fines usurpet aut transcendat episcopum collegam suum et usurpet alterius plebes sine ejus petitu, quia inde cætera mala omnia generantur. Universi dixerunt: Placet, placet.

XI. *De clericis contumacibus, et de numero judicantium episcopum, presbyterum et diaconum.*

Elpidephorus [Æ., Elipidephorus] Cuiulitanus episcopus dixit: Statuat sanctitas vestra, ut clerici qui superbi vel contumaces sunt coerceantur: qui minores sunt et majoribus irrogaverint injurias metum habeant disciplinæ. Gratus episcopus dixit: Manifestum est illum non esse Dei qui humilitatem condemnat, sed 119 diaboli qui superbiam inventor et princeps est; unde si quis tumidus vel contumeliosus exstiterit in majorem natu vel aliquam causam habuerit, a tribus vicinis episcopis, si diaconus est qui arguitur; si presbyter est, a sex; si episcopus, a duodecim consacerdotibus audiatur. Universi episcopi dixerunt: Contundi debet contumacia, et superbia in omnibus frangi: causæ vero pro personis ab statuto numero audiantur.

XII. *Ut pacta inter episcopos inita custodiantur.*

Antigonus [T. 2, U., Antigonius] episcopus Maginensis<sup>c</sup> dixit: Gravem injuriam patior, et credo dolere sanctitatem vestram contumeliam meam, et computare communem injuriam<sup>d</sup>. Optantius cum se repræsenteret pactum mecum habuit et divisimus plebes; manus nostræ tenentur et pittacia: contra hoc pactum circuit plebes mihi attributas, et susurrat populis ut illum Patrem, me vitricum nominent.

<sup>a</sup> U., *Avaritiam et cupiditatem.*

<sup>b</sup> Ex Æ. In A. et reliquis: *quis nemo dubitet.*

<sup>c</sup> Æ. B. R., T. 1, *Magirensis. U., Margirensis.*

A Gratus episcopus dixit: Factum hoc dolendum est, ut in se illiciant populorum imperitorum animos contra disciplinam, contra evangelicam traditionem, contra placita pacis; nam si sibi posse contingere arbitrarentur, nunquam profecto in fratrem aliquis deliquisset: unde aut iuta pacta sui obtineant firmitatem, aut conventus, si se non colibuerit, ecclesiasticam sentiet disciplinam. Universi dixerunt: Pax servetur, pacta custodiantur.

XIII. *Ut non liceat clericis fenerari.*

Abundantius episcopus Adrumetinus dixit: In nostro concilio statutum est ut non liceat clericis fenerari: quid etiam sanctitati 120 tuæ et huic concilio videtur, præsentî placito designetur. Gratus episcopus dixit: Novella suggestio: quæ vel obscura sunt vel sub genere latent<sup>e</sup>, inspecta a nobis formam accipient: cæterum de quibus apertissime divina Scriptura sanxit non ferenda sententia est, sed potius exsequenda. Proinde quod in laicis deprehenditur, id multo magis debet in clericis prædamari. Universi dixerunt: Nemo contra prophetas, nemo contra Evangelia facit sine periculo.

XIV. *Ut laici contemptores canonum excommunicentur, clerici honore priventur.*

Gratus episcopus dixit: Juxta statuta concilii et meæ mediocritatis sententiam placet facere rerum omnium conclusionem: universi tituli designati et digesti teneant sententias suas; sane credo vos tenere, multis conciliis a patribus nostris et traditione esse damnatam et rebaptizationis impietatem esse puniendam; quas res etiam nostro concilio credo jam terminum accepisse. Reliqua vero quæ vel facta vel dicta superius comprehensa sunt, vel aliis conciliis conscripta secundum legem inveniuntur, custodire nos oportet. Si quis vero statuta supergressus corruperit vel pro nibilo habenda putaverit, si laicus est, communione; si clericus est, honore privetur. Universi dixerunt: Placet, placet. Gratus episcopus dixit: Superest jam ut placita omnium nostrum, quæ ad consensum vestrum sunt scripta, vestra quoque subscriptione firmetis. Universi dixerunt: Et consensisse nos concilii hujus scripta testantur: et subscriptione nostra consensus declarabitur noster. Et subscripserunt.

D <sup>d</sup> Ex reliquis præter A., in quo desunt verba: *et computare communem injuriam.*

## XIII

### CONCILIIUM CARTHAGINENSE SECUNDUM

SEXAGINTA UNUS EPISCOPORUM ERA CCCCLXXVIII XVI KALENDAS JULIAS.

Gloriosissimo imperatore Valentiniano Augusto quarto et Neoterio viris clarissimis consulibus, Carthagine in basilica perpetua restituta, cum Geneclius episcopus una cum Victore Abdritano, et alio Victore

Puppianensi, et cæteris coepiscopis suis provinciarum diversarum<sup>e</sup> consedissent.

121 I. *Ut Trinitas et credatur et prædicetur.*

Geneclius episcopus dixit: Omnipotenti Deo

<sup>e</sup> In A. deest vox *diversarum*, quæ ex cæteris Codicibus desumpta est.

gratias refero, qui permisit ut secundum commune consilium <sup>a</sup> habitum in præterito, et juxta tenorem petitionis litterarum mearum ad Carthaginem pro fide atque utilitate ecclesiastica veniretis, etsi non omnes, tamen quoniam totum charitas persuadet <sup>b</sup>, ut qui corpore sunt absentes, nobiscum spiritu videantur esse conjuncti; idcirco, Deo propitio quia præsentibus estis, pari professione fides ecclesiastica quæ per nos traditur in hoc cœtu glorioso primitus constituenda est: tunc demum ordo ecclesiasticus singulorum et consensu omnium astruendus ad corroborandas fratrum et coepiscoporum nostrorum nuper promotorum mentes de his quæ proponenda sunt, quæ a patribus certa dispositione accepimus: ut Trinitatem quam nostris in sensibus consecratam retinemus, Patris et Filii et Spiritus sancti unitatem quæ nullam noscitur habere differentiam, sicut didicimus [U., discimus], ita Dei populos instruamus. Ab universis episcopis dictum est: Plane sic accepimus, sic tenemus, sic docemus fidem apostolicam sequentes.

II. *Ut castitas a levitis et sacerdotibus custodiat.*

Epigonius episcopus Bullensium [T. 2, Hullensium] regionum dixit: Cum præterito concilio de continentia et castitate tractaretur, gradus isti tres qui constrictione quadam castitatis per consecrationes annexi sunt, episcopus inquam, presbyter et diaconus, tractatu pleniori, ut pudicitiam custodiant, doceantur. Geneclius episcopus dixit: Ut superius dictum est, decet sacrosanctos antistites ac Dei sacerdotes, necnon et levitas vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter quod a Domino postulant impetrare, et <sup>c</sup> quod apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas nos quoque custodiamus. Ab universis episcopis dictum est: Omnibus placet ut episcopus, presbyter et diaconus, pudicitie custodes, etiam ab uxoribus se abtineant, ut in omnibus et ab omnibus pudicitia custodiat, qui altario inserviunt.

III. *Ut chrisma et benedictio puellarum et reconciliatio pœnitentium a presbyteris non fiat.*

Numidius episcopus Maxulitanus dixit: Si jubet sanctitas vestra, suggero, nam memini 122 præteritis conciliis fuisse statutum, ut chrisma vel reconciliatio pœnitentium, necnon et puellarum consecratio, a presbyteris non fiat; si quis autem emergerit hoc facere, quid de eo statuendum sit? Geneclius episcopus <sup>d</sup> dixit: Audivitis dignatio vestra suggestionem fratris et coepiscopi nostri Numidii; quid ad hæc dicitis? Ab universis episcopis dictum est: Chriasmatis confectio et puellarum consecratio a presbyteris non fiat, vel reconciliare quemquam publica missa presbytero non licere hoc omnibus placet.

IV. *Ut presbyter pœnitentem jussus ab episcopo suo reconciliet.*

Geneclius episcopus dixit: Si quisquam in periculo fuerit constitutus et se reconciliari divinis altaribus

A petierit, si episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere episcopum, et sic periclitantem ejus præcepto reconciliare: quam rem debemus salubri consilio roborare. Ab universis episcopis dictum est: Placet omnibus quod sanctitas vestra necessario nos instruere dignata est.

V. *Ut diæcesis quæ episcopum nunquam habuit non habeat.*

Felix episcopus Selemselitanus dixit: Etiam, si hoc placet sanctitati vestræ, insinuo, ut diæceses quæ nunquam episcopos habuerunt, non habeant, vel illa diæcesis quæ aliquando habuit habeat proprium: et si accedente tempore, crescente fide, Dei populus multiplicatus desideraverit proprium habere rectorem, cum ejus videlicet voluntate in cujus potestate diæcesis constituta est habeat episcopum: secundum autem hanc prosecutionem [T. 2, propositionem] sanctitatis vestræ est æstinare quid fieri debeat. Geneclius episcopus dixit: Si placet insinuatio fratris et coepiscopi nostri Felicis, ab omnibus confirmetur. Ab universis episcopis dictum est: Placet, placet.

VI. *Ut qui criminibus implicati sunt clericos non accusent.*

Numidius episcopus Maxulitanus dixit: Præterea sunt quampluri non bonæ conversationis, qui existimant majores natu vel episcopos passim vageque in accusatione pulsandos: debent tam facile admitti contra apostolicam regulam, necne? Geneclius episcopus dixit: Placet igitur charitati vestræ, ut is qui aliquibus sceleribus irretitus est vocem 123 adversus majorem natu non habeat accusandi? Ab universis episcopis dictum est: Si criminis est, ut non admittatur omnibus placet.

VII. *Ut qui excommunicatum alterius susceperit excommunicetur.*

Felix episcopus Selemselitanus dixit: Illud autem suggero vestræ sanctitati, ut hi qui pro facinoribus suis de Ecclesia pelluntur, et ausi fuerint aut ad comitatum pergere aut ad judicia publica prosilire, aut forsitan Ecclesiæ catholicæ limina attentare episcopus vel clericus cujuslibet plebis, de his quid censetis? Epigonius episcopus Bullensium regionum dixit: Si quis episcopus communionem tenens catholicam hujusmodi hominem vanis blandimentis incederit, D sciat cum iisdem rejectis se esse depravatum, transiens in sortem eorum. Geneclius episcopus dixit: Ergo recte suggerunt fratres et coepiscopi nostri, ut qui facinoram merito suorum ab Ecclesia pulsati sunt, si ab aliquo episcopo vel clerico fuerint communionem suscepti, etiam ipse pari cum eisdem crimine teneatur obnoxius. Ab universis episcopis dictum est: Omnibus placet.

VIII. *Ut excommunicatus presbyter si sacrificare præsumperit anathematizetur.*

Felix episcopus Selemselitanus dixit: Nec illud prætermittendum est, ut si quis forsitan presbyter ab episcopo suo correptus aut excommunicatus,

<sup>a</sup> T. 1, 2, U., G., concilium.

<sup>b</sup> U., totum charitatis vinculum persuadet.

<sup>c</sup> E., D. R., T. 1, 2, U., ut.

<sup>d</sup> U., episcopus omnibus dixit.

tuore vel superbia inflatus putaverit separatim A Deo sacrificia offerenda, vel aliud [Æ., aliquid] erigendum altare, contra ecclesiasticam fidem disciplinamque crediderit agendum, non exeat impunitus. Geneclius episcopus dixit: Necessaria disciplinæ ecclesiasticæ et fidei congrua sunt quæ frater noster Felix prosecutus est: proinde quid exinde videtur vestræ dilectioni edicite. Ab universis episcopis dictum est: Si quis presbyter a præposito suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet utique apud vicinos [Æ., binos] episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri ac per ipsos suo episcopo reconciliari; quod nisi fecerit, sed superbia, quod abiit, inflatus secernendum se ab episcopi sui communione duxerit ac separatim cum aliquibus schisma faciens sacrificium Deo obtulerit, loco amisso anathema habeatur: nihilominus et de civitate in qua fuerit longius depellatur, ne vel ignorantes vel simpliciter B **124** viventes serpentina fraude decipiat. Secundum Apostolum: *Ecclesia una est, una fides, unum baptisma*: et si querimoniam justam adversus episcopum habuerit, inquirendum erit.

**IX.** *Ut si presbyter inconsulto episcopo agendum celebraverit* <sup>a</sup> honore privetur.

Numidius episcopus Maxulitanus dixit: In quibusdam locis sunt presbyteri qui aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audaciter, præsentem et inconsulto episcopo, quamplurimis in domiciliis agant agendam, quod disciplinæ et incongruum esse cognoscit sanctitas vestra <sup>b</sup>. Geneclius episcopus dixit: C Fratres et coepiscopi nostri dignæ suggestioni tuæ respondere non morentur. Ab universis episcopis dictum est: Quisquis presbyter inconsulto episcopo agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.

**X.** *Quanti debeant sacerdotem judicare atque levitam.*

Felix episcopus Selesmopolitanus dixit: Etiam et hoc adjicio secundum statuta veterum conciliorum, ut si quis episcopus, quod non optamus <sup>c</sup>, reatum aliquem incurrit, et fuerit ei nimia necessitas non posse plurimos congregari: ne <sup>d</sup> in crimine remaneat, a duodecim episcopis audiatur et a sex presbyter et a tribus diaconis cum proprio suo episcopo. Geneclius episcopus dixit: Quid ad hæc dic't sanctitas vestra? Ab universis episcopis dictum est: Dignum est a nobis veterum statuta debere servari.

<sup>a</sup> U., *agendam id est missam celebraverit.*

<sup>b</sup> U., *cognoscitur, sanctitas vestra quid sibi in hoc profert?*

<sup>c</sup> T. 1, 2, *optamus fieri.*

<sup>d</sup> B. R. T., 1, 2, *plurimos congregare episcopos, ne.*

<sup>e</sup> T. 1, *aliam exercere præsumat.*

**XI.** *Ut nullus parochiam alienam præsumat* <sup>e</sup>.

Victor episcopus Abdiritanus <sup>f</sup> dixit: Roboranda est ecclesiastica disciplina, ne quisquam episcoporum alterius plebis vel diocesim sua importunitate pulsare, terminosque sibi statutos conetur excedere: qui hoc facere tentaverit quemadmodum coercendus est? Geneclius episcopus dixit: Et lex sancta prohibet et ipsa veritas non sinit quemquam alienum concupiscere; proinde quid etiam vobis omnibus placet propria voce signate. Ab universis episcopis dictum est: Placet ut secundum divinæ legis auctoritatem nemo nostrum alienos limites transgrediatur.

**125 XII.** *Ut sine consulto & metropolitano nullus ordinetur episcopus.*

Numidius episcopus Maxulitanus dixit: Aliqui episcopi usurpationem quadam existimant, contempto primato cujuslibet provincie suæ, ad desiderium populi episcopum ordinare, neque litteris ad se primæ cathedræ manentibus <sup>h</sup> neque potestate accepta: de hoc quid statuit sanctitas vestra? Geneclius episcopus dixit: Quoniam communis est honorificentia quæ debet unicuique servari, de hoc ipso, fratres, vestrum est pronuntiare. Ab universis episcopis dictum est: Placet omnibus ut inconsulto primato cujuslibet provincie tam facile nemo præsumat, licet cum multis in quocunque, loco sine ejus ut dictum est, præcepto, episcopum non debere ordinare: si autem necessitas fuerit, tres episcopi, in quocunque loco sint, cum primatis præcepto ordinare debeant <sup>i</sup>.

**126 XIII.** *Ut episcopus qui contra professionem suam in concilio habitam venerit, deponatur.*

Geneclius episcopus dixit: Omnia ergo quæ a cætu gloriosissimo statuta sunt, placet ab omnibus custodiri? Ab universis episcopis dictum est: Placet, placet, custodiantur ab omnibus. Geneclius episcopus dixit: Si, quod non opinamur, ab aliquo fuerint violata, quid statuitis? Ab universis episcopis dictum est: Qui contra suam professionem vel subscriptionem venerit, ipse se ab hoc cætu separavit. Geneclius episcopus dixit: Gratulor, Deo nostro præstante, quod pro statu Ecclesiæ catholicæ cuncta nos salubri consilio servanda decrevimus; et ideo quæ ab omnibus sunt dicta, propria debemus subscriptione roborare. Ab universis episcopis dictum est: Fiat, fiat. Et subscriperunt.

<sup>f</sup> In omnibus codicibus *Abziritanus*, cum antea *Abdiritanus* scripsissent.

<sup>g</sup> U., G., *consultu metropolitani.*

<sup>h</sup> B. R., T. 1, 2, *manentibus.*

<sup>i</sup> Æ., B. R., T. 1, 2, U., *ordinare debent episcopum.*

## XIV

### CONCILIUM CARTHAGINENSE TERTIUM

HABITUM AB EPISCOPIB; NUMERO QUADRAGINTA SEPTEM <sup>a</sup>, ERA CCCCLXXVI <sup>b</sup>, CÆSARIO ET ATTICO VIRIS CLARISSIMIS CONSULIBUS, V KALENDAS SEPTEMBRIS.

Carthagine in secretario basilicæ restituitur cum Aurelius episcopus una cum coepiscopis suis consedisset, astantibus etiam diaconibus, constituta sunt hæc quæ in præsentî concilio definita sunt.

I. *Ut provinciales c episcopi de pascha suam primatem inquirant.*

Placuit igitur in principio, propter errorem qui sæpe solet oboriri, ut omnes Africanæ provinciæ episcopi observationem diei paschalis ab Ecclesia Carthaginensi curent accipere.

II. *Ut per singulos annos concilium fiat.*

Similiter placuit ut propter causas ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpe veterascunt, singulis quibusque annis concilium convocetur, ad quod omnes provinciæ quæ primas sedes habent, de conciliis suis binos **127** aut quantos elegerint episcopos legatos mitant; ut et minus invidiosi minusque hospitibus sumptuosi existant, et in congregato conventu plena possit esse auctoritas: de Tripoli autem propter inopiam episcoporum unus episcopus veniat <sup>d</sup>.

III. *Ut episcopus priusquam e ordinatur canones agnoscat.*

Item placuit, ut ordinandis episcopis vel clericis prius ab ordinatoribus suis decreta conciliorum auribus eorum inculeentur, ne se aliquid contra statuta concilii fecisse poeniteant.

IV. *Ut levitæ et virgines ante viginti quinque annos non consecrentur.*

Item placuit, ut ante viginti quinque annos ætatis nec diacones ordinentur, nec virgines consecrentur, et ut lectores populum non salutent.

V. *Ut sacramentum catechumenis non præbeat.*

Item placuit, ut etiam per solemnissimos paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum salis; quia si fideles per illos dies sacramenta non mutant, nec catechumenos oportet mutare.

VI. *Ut mortuis baptismus vel eucharistia non detur.*

Item placuit, ut corporibus defunctorum eucharistia non detur; dictum est enim a Domino: *Accipite et edite*: cadavera autem nec accipere possunt nec edere. Deinde cavendum est ne mortuos etiam baptizari posse fratrum infirmitas credat, quibus nec eucharistiam dari animadverterit.

VII. *Ut si episcopus accusatur, ubi vel infra quod tempus examinetur.*

Aurelius episcopus dixit: Quisquis episcoporum accusatur, ad primates provinciæ ipsius causam deferat accusator, nec a communione suspendatur cui crimen intenditur [B. R., impenditur], nisi ad cau-

am suam dicendam primæ sedis litteris evocatus die statuta minime occurrerit, hoc est intra spatium mensis ex ea die qua eum litteras accepisse constiterit: quod si aliquas veras necessitatis causas probaverit, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit, causæ suæ dicendæ intra alterum mensem integram habeat facultatem; verumtamen die post mensem secundum non communicet donec purgetur. Si autem **128** nec ad concilium universale anniversarium occurrere voluerit vel ibi causa ejus terminetur, ipse in se damnationis sententiam dixisse judicetur; tempore sane quo non communicat, nec in sua ecclesia vel parochia communicet: accusator autem ejus si nunquam diebus causæ dicendæ defuerit a communione non removeatur; si vero aliquando defuerit subtrahens se, restituto in communionem episcopo, ipse removeatur a communione accusator, ita tamen ut nec ipsi adimatur facultas causæ peragendæ, si se ad diem occurrere non noluisse, sed non potuisse probaverit. Illud vero placuit, ut cum agere cœperit in episcoporum judicio, si fuerit accusatoris persona culpabilis, ad arguendum non admittatur, nisi proprias causas non tamen si ecclesiasticas asserere voluerit.

VIII. *De presbyteris et diaconibus, quanti episcopi eos audiant.*

Si autem presbyteri vel diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis proprius episcopus legitimo numero collegarum, una secum in presbyteri nomine episcopi sex, in diaconi tres, ipsorum causam discutiant, eadem dierum et dilatione et a communione remotionum et discussione personarum inter accusatores et eos qui accusantur forma servata. Iteliquorum autem clericorum causas etiam solus episcopus loci agnoscat et finiat.

IX. *Ut clerici publica judicia non appellent.*

Item placuit, ut quisquis episcoporum, presbyterorum et diaconorum seu clericorum, cum in Ecclesia ei fuerit crimen institutum vel civilis causa fuerit commota, si relicto judicio ecclesiastico publicis judiciis purgari voluerit, etiam si pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat; et hoc in criminali actione: in civili vero perdat quod evicit, si locum suum obtinere maluerit. Cui enim ad eligendos iudices undique Ecclesiæ patet auctoritas, ipse se indignum Ecclesiæ consortio iudicat, qui de universa Ecclesia male sentiendo de judicio sæculari poscit auxilium, cum privatorum Christianorum causas Apostolus etiam ad Ecclesiam deferri atque ibi determinari præcipiat.

<sup>a</sup> Æ., numero quadraginta octo.

<sup>b</sup> Æ., B. R., T. 1, 2, æra cccclxxvi.

<sup>c</sup> Æ., B. R., T. 1, 2, U., comprovinciales.

<sup>d</sup> G., veniat vel clericus.

<sup>e</sup> T. 1, 2, episcopus vel clericus priusquam.

<sup>f</sup> T. 1, 2, G., verum tandiu.

X. *Si quisque ab aliis iudicibus ecclesiasticis ad alios A fuerit, non obesse prioribus si diversa sententia proferatur.*

Hoc etiam placuit, ut a quibuscunque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos ubi est major auctoritas fuerit provocatum, **129** non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint vel inimico animo iudicasse vel aliqua cupiditate aut gratia depravati: sane si ex consensu partium iudices electi fuerint, etiam a pauciori numero quam constitutum est non liceat provocari.

XI. *Ut filii clericorum ad spectacula non accedant.*

Ut filii sacerdotum vel clericorum spectacula sæcularia non exhibeant, sed nec spectent, quandoquidem ab spectando etiam omnes laici prohibeantur; semper enim Christianis omnibus hoc interdictum B est, ut ubi blasphemix sunt non accedant.

XII. *Ut filii clericorum matrimonii infidelium non socientur.*

Item placuit, ut filii vel filix episcoporum vel quorumlibet clericorum Gentilibus vel hæreticis aut schismaticis matrimonio non conjugantur.

XIII. *Ut clerici de rebus suis nihil infidelibus conferant.*

Ut episcopi vel clerici in eos qui catholici Christiani non sunt, etiam si consanguinei fuerint, per donationes rerum suarum nihil conferant.

XIV. *Ut clerici filios suos a sua potestate exire non sinant, nisi ætate et moribus comprobatis.*

Ut episcopi vel clerici filios suos a sua potestate per mancipationem exire non sinant, nisi de moribus eorum fuerint et de ætate securi, ut possint C ad eos jam propria pertinere peccata.

XV. *Ut clerici non sint conductores vel negotiatores.*

Item placuit, ut episcopi, presbyteri et diaconi vel clerici non sint conductores aut procuratores privatorum, neque ullo turpi vel inhonesto negotio victum quærant, quia respicere debent scriptam esse: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.*

XVI. *Ut nullus clericus sit usurarius.*

Ut nullus clericorum amplius recipiat, quam cuiquam quod accommodaverit: si pecuniam, pecuniam accipiat: si speciem, speciem: quantum dederit accipiat: et quidquid aliud, tantum quantum dedit.

**130** XVII. *Ut cum clericis extraneæ feminæ non cohabitent.* D

Ut cum omnibus omnino clericis extraneæ feminæ non cohabitent, sed solæ matres, avix et matertæ, amix, sorores et filix fratrum aut sororum, et quæcunque ex familia domestica necessitate, etiam antequam ordinarentur, jam cum eis habitabant, vel si filii eorum jam ordinatis parentibus uxores acceperunt, aut servis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit.

XVIII. *Ut clerici non ordinentur nisi omnes qui cum eis sunt fideles existant.*

Ut episcopi et presbyteri et diaconi non ordinentur priusquam omnes qui sunt in domo eorum Christianos catholicos fecerint.

Æ., B. R., T. 1, 2, U., in diocesi cõlegam suum.

XIX. *Ut clerici cum ad pubertatem venerint aut conjugium aut castitatem proficiantur.*

Placuit ut lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere aut continentiam profiteri.

XX. *Ut plebes alienas alius episcopus non usurpet.*

Placuit ut a nullo episcopo usurpentur plebes alienæ, nec aliquis episcoporum supergrediatur in diocesium collegæ sui.

XXI. *Ut nullus episcopus alienum clericum audeat retinere vel ordinare.*

Ut clericum alienum, nisi concedente ejus episcopo, nemo audeat retinere vel promovere in ecclesia sibi credita: clericorum autem nomen etiam lectores et psalmistæ et ostiarii retinent.

XXII. *Ut nullus clericus ordinetur, nisi fuerit vitæ probabilis.*

Ut nullus ordinetur clericus, nisi probatus vel episcoporum examine vel populi testimonio.

XXIII. *De precibus et orationibus.*

Ut nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet; et cum altari assistitur semper ad Patrem dirigatur oratio; et quicumque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructionibus fratribus contulerit.

**131** XXIV. *Ut in sacrificio [U., sacramento] panis et calix offeratur.*

Ut in sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aquæ mistum [B. R., permistum], nec amplius in primitiis offeratur, quam de C ovix et frumentis.

XXV. *Ne clerici vel continentes ad virgines vel viduas soli habeant accessum.*

Ut clerici vel continentes ad viduas vel virgines nisi ex jussu vel permissu episcoporum aut presbyterorum non accedant, et hoc non soli faciant, sed cum conclericis vel cum his cum quibus episcopus aut presbyter jusserit; nec ipsi episcopi aut presbyteri soli habeant accessum ad hujusmodi feminas, sed ubi aut clerici præsentibus sunt aut graves aliqui Christiani.

XXVI. *Ut primæ sedis episcopus princeps sacerdotum non appelletur.*

Ut primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum aut summus sacerdos aut aliquid hujusmodi, sed tantum [U., G., tantummodo] primæ sedis episcopus.

XXVII. *Ut clerici tabernas non ingrediantur.*

Ut clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate.

XXVIII. *Ut episcopus sine formata metropolitani longius non proficiatur.*

Ut episcopi trans mare non proficiantur, nisi consulto primæ sedis episcopo suæ cujusque provincix, ut ab eo præcipue possit sumere formatam vel commendationem.

XXIX. *Ut missa a jejunis celebretur.*

Ut sacramenta altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur; nam si aliquorum pomeridiano.

[In Codd., pomeridiano] tempore defunctorum, sive A episcoporum sive cæterorum, commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt jam pransi inveniuntur.

XXX. *Ut nullus in ecclesia convivetur.*

Ut nulli episcopi vel clerici in ecclesia conviverent, nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illie reficiant: populi etiam ab hujusmodi **132** conviviis quantum fieri potest prohibeantur.

XXXI. *Ut pœnitentibus juxta peccatum modus pœnitentiæ detur.*

Ut pœnitentibus secundum differentiam peccatorum episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

XXXII. *Ut presbyter præter jussum vel absentiam episcopi non reconciliet pœnitentem.*

Ut presbyter inconsulto episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absentia episcopi necessitate cogente: cujuscumque autem pœnitentis publicum et vulgatissimum crimen est, quod universam Ecclesiam commoverit; ante absidam manus ei imponatur.

XXXIII. *De custodia sacrarum virginum.*

Ut virgines sacræ, si a parentibus a quibus custodiebantur privatæ fuerint, episcopi providentia vel presbyteri ubi episcopus absens est, monasterio virginum vel gravioribus feminis commendentur, ut simul habitantes invicem se custodiant, ne passim vagando Ecclesiæ lædant opinionem.

XXXIV. *De baptizandis ægrotis qui jam loqui non possunt.*

Ut ægrotantes si pro se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium sui dixerint, baptizentur.

XXXV. *Ut apostaticis et scenicis conversis reconciliatio non negetur.*

Ut scenicis atque histrionibus cæterisque hujusmodi personis, vel apostaticis conversis vel reversis ad Deum gratia vel reconciliatio non negetur.

XXXVI. *Ut presbyter chrisma non conficiat.*

Ut presbyter non consulto episcopo virgines non consecret; chrisma vero nunquam conficiat.

XXXVII. *Ut clerici sine necessitate in aliena civitate non immorentur.*

Ut clerici in aliena civitate non immorentur, nisi causas eorum justas episcopus loci vel presbyteres locorum pervideriat.

**133** XXXVIII. *Ut non liceat fieri translationes episcoporum.*

Illud autem suggerimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenaria synodo videtur statutum, ut non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes vel translationes episcoporum: nam Crisconius Villaregiensis episcopus, plebe sua derelicta, Tubuniensem [T., 2, Tuguniensem] invasit ecclesiam, et usque in hodie commonitus secundum quod statutum fuerat, relinquere eandem quam invaserat plebem contempnit. Adversus istum quæ pronuntiata fuerant confirmata quidem audivimus; sed petimus, secundum

<sup>a</sup> In A., E. 3, invenitur nota marginalis: id est altare.

<sup>b</sup> Ex U. In A. et reliquis: pro monasterio.

quod nobis mandatum est, ut digeomii dare fiduciam: quoniam [U., quomodo] necessitate ipsa cogente, liberum nobis sit rectorem provinciæ secundum statuta gloriosissimorum principum adversus illum adire, ut qui miti admonitioni sanctitatis vestræ acquiescere noluit et emendare illicitum, auctoritate judiciaria protinus excludatur. Aurelius episcopus dixit: Servata forma disciplinæ non æstimabitur appetitus si a vestra charitate modeste conventus recedere detrectaverit, cum fuerit suo contemptu et contumacia, faciente etiam auctoritate judiciaria, conventus. Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt: Hoc ergo omnibus placet? Ab universis episcopis dictum est: Justum est, placet.

XXXIX. *Ut non præsumant duo episcopi ordinare pontificem.*

Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt: Et illud nobis mandatum est, ut quia proxime [T. 2, proximi] fratres nostri Numidiæ duo episcopi ordinare præsumperunt pontificem, non nisi a duodecim censeatis episcoporum celebrari ordinationes. Aurelius episcopus dixit: Forma antiqua servabitur, ut non minus quam tres sufficiant, qui fuerint a metropolitano ordinati, ad episcopum ordinandum; propterea quia in Tripoli forte et in Arzuge [T. 2, Arzure] interjacere videantur barbaræ gentes; nam et in Tripoli, ut asseritur [Æ., fertur], episcopi sunt quinque tantum et possunt de ipso numero forte vel duo necessitate aliqua occupari, difficile est enim ut de quolibet numero omnes possint occurrere: nunquid debet hoc ipsum impedimento esse ecclesiasticæ utilitati? Nam et in hac Ecclesia, ad quam dignata est sanctitas vestra convenire, crebro ac pene per diem dominicam ordinandos habemus: nunquidnam frequenter potero duodecim vel decem vel non multo minus advocare episcopos? sed facile est mihi duos ad jungere meæ parvitati vicinos: **134** quapropter cernit mecum charitas vestra hoc ipsum observari non posse.

XL. *Ut dum episcopus eligitur si contradictores habeat, quinque sacerdotes convenient.*

Et illud est statuendum, ut quando ad eligendum episcopum convenimus, si qua contradictio fuerit oborta, quia talia facta sunt apud nos, non præsumant ad purgandum eum qui ordinandus est tres jam, sed postulentur ad numerum supradictorum duo vel tres, et in eadem plebe cui ordinandus est discutiantur primo personæ contradicentium, postremo illa etiam quæ obijciuntur pertractentur; et cum purgatus fuerit sub conspectu publico, ita demum ordinetur. Si hoc cum vestræ sanctitatis animo concordat, roboretur vestræ dignationis responsione. Ab universis episcopis dictum est: Satis placet.

XLI. *Ut per singulos annos convenientes episcopi ad concilium etiam de paschali solemnitate a primato suo informentur.*

Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt: Quoniam de concilio quædam tractata noscuntur, addimus

<sup>c</sup> U., cum voluntates eorum testimonium sui periculo proprio dixerint, baptizentur.



etiam de die paschæ nobis esse mandatum, ut de Ecclesia semper Carthaginensi, sicut prædictum est, instruamur et non sub angusto temporis spatio. Aurelius episcopus dixit: Si sanctitati vestræ videtur, quoniam nos spondidisse jam superius meminimus ut singulis quibusque annis ad tractandum conveniamus, et cum convenerimus in unum, tunc divulgabitur sanctus paschæ dies per legatos qui adfuerint concilio. Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt: Nunc de presenti cœtu petimus ut litteris provincialium nostram de hac die informare dignemini. Aurelius episcopus dixit: Ita fiat necesse est.

XLII. *Ut non accipiat alium episcopum plebs quæ in diœcesim semper subjacuit.*

Epigonius episcopus dixit: Multis conciliis hoc statutum est a cœtu sacerdotali, ut plebes quæ in diœcesibus ab episcopis retinentur, quæ episcopos nunquam habuerunt, non nisi cum voluntate ejus episcopi a quo tenentur proprios accipiant rectores, id est episcopos: at vero quia nonnulli, dominatu quodam adepto, communionem fratrum abhorrent, vel certe cum depravati fuerint, quasi in quadam arce tyrannica sibi dominatum vindicant, quod plerique tumidi atque stolidi adversus episcopos suos cervices erigunt **135** presbyteri, vel convivii sibi conciliantes plebem vel certe persuasu maligno, ut illicito favore eosdem velint sibi collocare rectores, quod quidem insigne mentis tuæ tenemus votum, frater religiose Aureli, quia hæc sæpe oppressisti non curando tales peccatores, sed propter eorum malos cogitatus et prave concinnata concilia hoc dico: Nunc debere rectorem accipere eam plebem quæ in diœcesim semper subjacuit, nec unquam proprium episcopum habuit; quapropter si universo sanctissimo cœtui placet, hoc quod prosecutus sum confirmetur. Aurelius episcopus dixit: Fratres et sacerdotes nostri, prosecutioni non obsisto, sed hoc me et fecisse et facturam esse profiteor.

XLIII. *Ut qui, plebe sua contempta, ad concilium venire detrectant et plebem et honorem amittant.*

Circa eos sane qui fuerint concordēs non solum circa Ecclesiam Carthaginensem, sed circa omne sacerdotale consortium, sunt enim plerique conspirantes cum plebibus propriis quas decipiunt, ut dictum est, earum scalpentes aures, blandi ad seducendum, vitiosæ vitæ homines, vel certe inflati et ab hoc consortio separati, qui putant propriæ plebi incubandum et nonnunquam conventi ad concilium venire detrectant, sua forte ne prodantur flagitia metuentes; dico si placet circa hoc [U., hos] non tantum diœceses non esse servandas, verum etiam et de propria Ecclesia, quæ illis male faveat [B. R., T. 1, fuerit], omnimodo aditendum ut etiam auctoritate publica rejiciantur, atque ab ipsis principalibus cathedris removeantur: oportet enim ut qui universis fratribus ac toto concilio inhæserit, non solum suam jure integro, sed et diœceses possideat; at

A vero qui sibi metipsum putat plebes suas sufficere, fraternæ dilectione contempta, non tantum diœceses amittant, sed, ut dixi, etiam propriis publica careant auctoritate ut rebelles. Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt: Summa provisio [Æ., prævisio] sanctitatis tuæ cohercet mentibus singulorum, et puto omnium responsione ea quæ prosequi dignatus es roboranda. Universi episcopi dixerunt: Placet, placet.

XLIV. *Ut clericum alienum nullus sibi præsumat episcopus.*

Epigonius episcopus dixit: In multis<sup>a</sup> conciliis hoc statutum est, etiam nunc hoc confirmandum a vestra prudentia, fratres beatissimi, ut clericum alienum nullus sibi præcipiat episcopus præter ejus arbitrium cujus **136** fuerit clericus. Dico autem Julianum, qui ingratus est Dei beneficiis per meam parvitatem in se collatis, ita temerarium et audacem existisse, ut eum qui a me baptizatus est, cum esset puer mihi ab eodem commendatus, cumque multis annis a me aleretur atque incresceret, hunc ut dixi baptizatum in Ecclesia mea per manum paupertatis meæ, idem in diœcesi Appaliensi lector esse cœperat, imo annis ferme duobus legerat, nescio quo contemptu humilitatis meæ idem Julianus arripuit, quem dicat quasi proprium civem sui loci Babtizaritani<sup>b</sup> me inconsulto usurpare; nam et diaconum illum ordinavit: hoc scilicet pateat, hæc licentia nobis, beatissimi fratres, si minus tam imprudens cohibeatur, ne se misceat communioni cujusquam. Numidius episcopus dixit: Si non postulata neque consultata tua dignatione id videtur fecisse Julianus, judicamus omnes inique factum vel<sup>c</sup> indigne: quapropter nisi idem Julianus correxerit errorem suum, et cum satisfactione eundem clericum quem fuerat ausus ordinare revocaverit tuæ plebi, contra statuta concilii faciens, contumaciæ suæ separatus a nobis excipiet iudicium. Epigonius episcopus dixit: Ætate pater, ipsa promotione antiquissimus, vir laudabilis, frater et collega noster Victor, vult hanc petitionem generalem omnibus effici.

XLV. *Ut episcopus qui plures habet clericos ei qui eget ad ordinandum postulatus largiatur.*

Aurelius episcopus dixit: Sermone meo, admittite, fratres: contingit nonnunquam ut postulentur ab ecclesiis quæ præpositi egent vel presbyteris vel episcopis, et tamen memor statutorum id sequor, ut conveniam episcopum ejus atque ei inculcem, quod ejus clericus a qualibet ecclesia postuletur: sed forte in hodierno non reluctati sunt, et ne quando contingat ut reluctentur, cum fuerint a me in hac causa postulati, quem scitis multarum ecclesiarum et ordinandorum curam sustinere, justum est ergo, ut quemlibet consacerdotum conveniam cum duobus e consortio nostro vel tribus testibus: si vero indevotus existerit, quid censet charitas vestra faciendum? ego enim cunctarum ecclesiarum dignatione Dei, ut scitis fratres, sollicitudinem sustineo. Numidius episcopus dixit: Fuit hæc semper licentia huic sedi, ut

<sup>a</sup> Ex omnibus Codicibus. In A., *ultima*.

<sup>b</sup> B. R., T. 1, 2, G., *Vazaritani*.

<sup>c</sup> Æ., B. R., T. 1, 2, *atque*.

unde vellet et de cuius nomine fuisset conventus, pro desiderio cuiusquam Ecclesiæ, ordinaret episcopum. Epigonius episcopus dixit: Bonitas sequestrat possibilitatem, minus enim præsumis, frater, cum te bonum et clementem <sup>a</sup> reddis; habes enim **137** hoc in arbitrio: satis est ut satisfaciat <sup>b</sup> personæ uniuscuiusque episcopi in prima tantummodo conventione; si autem, quod licet huic sedi, vindicandum sibi fuerit arbitratus, necesse habes tu omnes ecclesias sufficere: unde tibi non potestatem [U., facultatem] damus, sed tux assignamus, ut liceat voluntati tux et semper tenere quem voles, ut præpositos plebibus vel ecclesiis constituas qui fuerint postulati, et unde voles. Postumianus episcopus dixit: Deinde qui unum habuerit, nunquid debet illi unus ipse presbyter auferri? Aurelius episcopus dixit: Sed episcopus unus esse potest, per quem dignatione divina presbyteri multi constitui possint; unus autem episcopus difficile invenitur constituendus: quapropter si necessarium episcopus quis habuerit presbyterum, et unum, et dixisti, frater, habuerit, etiam ipsum ad promotionem dare debet. Postumianus episcopus dixit: Ergo si habet alius abundantes [Æ., abundanter] clericos, debet mihi alia plebs subvenire? Aurelius episcopus dixit: Sane, quomodo tu Ecclesiæ alteri subvenis, persuadetur illi qui plures habet clericos, et unum tibi ordinandum largiatur.

**XLVI.** *Ut episcopus in diœcesi factus solum eam teneat plebem in qua exiit ordinatus.*

Honoratus et Urbanus episcopi dixerunt: Audivimus constitutum ut diœceses non mereantur episcopos accipere, nisi consensu ejus sub quo fuerant constitutæ; sed in provincia nostra, cum aliqui forte in diœcesi concedente eo episcopo in cuius potestate fuerant constitutæ ordinati sunt episcopi, etiam diœceses sibi vindicare: hoc et corrigi claritatis vestræ iudicio et inhiberi debet de cætero. Epigonius episcopus dixit: Singulis episcopis servatum est quod decebat, ut ex massa diœcesium nulla carperetur ut proprium episcopum habuisset, nisi ipse consensum adhibuisset concedendi. Sufficiat enim si consensu it, ut eadem diœcesis permessa proprium tantum episcopum habeat, cæteras sibi non vindicet diœceses, quæ excepta de fasce multarum sola meruit honorem episcopatus suscipere. Aurelius episcopus dixit: Non dubito charitati vestræ omnium placere eum in diœcesi, concedente episcopo, qui matricem tenuit, solum eandem retinere plebem in qua fuerit ordinatus.

**XLVII.** *Ut præter Scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum.*

Sunt autem canonicæ Scripturæ, id est: **138** 1. Genes. 2. Exodus. 3. Leviticus. 4. Numeri. 5. Deuteronomium. 6. Jesu Nave. 7. Judicum. 8. Ruth. 9. Regnorum libri IV. 10. Paralipomenon libri II. 11. Job. 12. Psalterium Davidicum. 13. Salomonis libri V. 14. Libri XII prophetarum. 15. Esaias. 16.

<sup>a</sup> Æ., B. R., E, 3, T, 1, 2, U., *cl mentem omnibus reddis.*

<sup>b</sup> G., *arbitrio, id est, ut satisfacias.*

Jeremias. 17. Ezechiel. 18. Daniel. 19. Tobias. 20. Judith. 21. Esther. 22. Esdræ libri II. 23. Machabæorum libri II. Novi autem Testamenti. 24. Evangeliorum libri IV. 25. Actuum apostolorum liber I. 26. Pauli apostoli Epistolæ XIII; ejusdem ad Hebræos I. 27. Petri II; Joannis III; Judæ I; Jacobi I; Apocalypsis Joannis liber I. Fiunt igitur libri viginti et septem, ita ut de confirmando isto canone transmarinæ Ecclesiæ consulantur. Liceat etiam legi passiones martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.

**XLVIII.** *De baptizatis a Donatistis.*

De Donatistis placuit, ut consulamus fratres et consacerdotes nostros Siricium et Simplicianum de solis infantibus qui baptizantur penes eosdem, ne quod suo non fecerunt <sup>c</sup> iudicio, cum ad Ecclesiam Dei salubri proposito fuerint conversi, parentum illis error impediatur ne promoveantur sacri altaris ministri [U., ministerio]. Quibus insertis, Honoratus et Urbanus episcopi legati provincie Mauritanie Sittiphensis dixerunt: Jam dudum cum apud sanctitatem vestram allegarem scripta, dilati sumus ea contemplatione quod fratres nostri advenire possent de Numidia legati; sed quia non parvi dies sunt quibus expectati minime venerunt; ultra prætermittere, quæ nobis mandata sunt a nostris coepiscopis non oportet; atque ideo, fratres, suggestionem nostram libenter admittite. De fide enim Nicæni tractatus audivimus, verum et de sacrificiis inhibendis post prandium, ut a jejuniis sicut dictum est offerantur, et tunc et nunc firmatum est.

**XLIX.** <sup>d</sup> *De his qui nihil habent in ecclesiis ordinantur.*

Placuit ut episcopi, presbyteri, diaconi vel quicumque clerici, qui nihil habentes ordiantur, et tempore episcopatus vel clericatus sui agros vel quæcunque prædia nomini suo comparant, tanquam rerum dominicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti in Ecclesia eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis proprie aliquid liberalitate alicujus vel successione cognationis venerit, faciant inde quod eorum proposito congruit; quod si a suo proposito retrorsum exorbitaverit **139** honore ecclesiastico indigni, tanquam reprobi judicentur.

**D L.** *Ut gesta concilii episcoporum subscriptionibus confirmantur.*

Aurelius episcopus dixit: Quoniam igitur universa arbitror fuisse tractata, si omnia cum animo vestro convenerint, sermone vestro cuncta roborate. Universi episcopi dixerunt: **140** Omnibus nobis hæc placuerunt, et hæc nostra subscriptione firmabimus, Et subscripserunt.

Aurelius episcopus Ecclesiæ Carthaginis huic decreto consensit, et relecto subscripsi.

Epigonius episcopus plebis Bullensis regionis subscripsi.

<sup>c</sup> Kx U. In A. et reliquis: *fecerunt in iudicio.*

<sup>d</sup> In Codice B. R., T. 1, 2, et U., deest canon hic.

Augustinus episcopus plebis Ilipponensium regio- A Similiter et omnes episcopi quadraginta quatuor  
num subscripsi. subscripserunt.

## XV

### CONCILIUM CARTHAGINENSE QUARTUM

HABITUM AB EPISCOPIB NUMERO DUCENTIS QUATUORDECIM, ERA CCCCLXXVI, HONORIO AUGUSTO  
QUARTO ET EUTYCHIANO CONSULIBUS, VI IDUS NOVEMBRIS.

Cum Aurelius episcopus in concilio generali Carthagine in secretario cum omnibus consacerdotibus suis consedisset, placuit cum eo cunctis qui fuerunt in eadem sancta synodo constituere hæc quæ ad ordines ecclesiasticos canonicis sunt necessaria disciplinis : ubi in principio constitutum est.

#### I. *Quales debeant ordinari episcopi.*

Qui episcopus ordinandus est antea examinatur ; igitur si natura prudens <sup>a</sup> est, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si semper suis negotiis, si hominibus affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in Scripturatum sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus, et ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus asserat, id est Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum esse confirmans, totamque in Trinitate deitatem ccessentialem et consubstantialem et coæternalem et coomnipotentem prædicans, si singulam quæmque in Trinitate personam plenum Deum et totas tres personas unum Deum, si incarnationem divinam non in Patre neque in Spiritu sancto factam, sed in Filio tantum credat, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius ipse fieret in homine hominis matris <sup>b</sup> filius, Deus verus ex Patre et homo verus ex matre, carnem ex matris visceribus habens et animam humanam rationalem simul in eo, ut utriusque naturæ id est homo et Deus, una persona, unus Filius, unus Christus, unus Dominus, creaturarum omnium quæ sunt et auctor et dominus, et creator cum Patre et Spiritu sancto omnium creaturarum, qui passus sit vera carnis passione <sup>c</sup>, mortuus vera corporis sui morte, resurrexit vera carnis suæ resurrectione et vera animæ resumptione, in qua veniet iudicare vivos et mortuos. Querendum etiam ab eo, si Novi <sup>141</sup> et Veteris Testamenti, id est, legis et prophetarum et apostolorum unum eundemque <sup>D</sup> credat auctorem et Deum, si diabolus non per conditionem sed per arbitrium factus sit malus. Querendum etiam ab eo, si credat hujus quam gestamus et non alterius carnis resurrectionem, si credat iudicium futurum et recepturos singulos pro his quæ in hac carne gesserunt vel pœnas vel præmia, si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnet, si carnis perceptionem non culpæ, si pœnitentibus reconciliatis communicet, si in baptismo omnia peccata, id est tam illud originale contractum quam illa quæ voluntarie admissa sunt, dimittantur, si extra Ecclesiam

<sup>a</sup> U., ante examinatur, si natura prudens.

<sup>b</sup> E., in hominis natura matris.

<sup>c</sup> U., vera carnis morte.

<sup>d</sup> E., B. R., U., et.

catholicam nullus salvetur. Cum in his omnibus examinatus inventus fuerit plene instructus, tunc consensu clericorum et laicorum ex <sup>d</sup> conventu totius provinciæ episcoporum, maximeque metropolitani vel auctoritate vel præsentia ordinetur episcopus, suscepto in nomine Christi episcopatu, non suæ dilectioni <sup>e</sup> nec suis moribus <sup>f</sup>, sed his Patrum definitionibus acquiescens ; in cujus ordinatione etiam ætas requiratur quam sancti Patres exemplo Salvatoris in prælegendis episcopis constituerunt.

Dehinc disponitur qualiter ecclesiastica officia ordinentur.

#### II. *Qualiter consecrentur episcopi.*

Episcopus cum ordinatur, duo episcopi ponant et teneant Evangeliorum Codicem super caput et cervicem ejus, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui episcopi omnes qui adsunt manibus suis caput ejus tangant.

#### III. *Qualiter presbyteri ordinentur.*

Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super ejus caput tenente, etiam omnes presbyteri qui præsentés sunt manus suas juxta manum episcopi super caput illius teneant.

#### IV. *Quemadmodum diaconi constituentur.*

Diaconus cum ordinatur, solus episcopus qui eum benedicit manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

#### V. *Quemadmodum subdiaconi constituentur.*

Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu <sup>142</sup> episcopi accipiat vacuam et calicem vacuum, de manu vero archidiaconi accipiat orciolum [U., urceolum] cum aqua et aquamabile et manutergium.

#### VI. *Quemadmodum acolythi fiant.*

Acolythus cum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur qualiter se in officio suo agere debeat, sed ab archidiacono accipiat cereoferarium cum cereis, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari; accipiat et orciolum vacuum ad suggerendum vinum in eucharistiam sanguinis Christi.

#### VII. *Qualiter exorcistæ fiant.*

Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo : Accipe et commenda, et habeto potestatem <sup>g</sup> imponendi manus super energumenos, sive baptizatum, sive catechumenum.

<sup>e</sup> E. B. R., T. 4, 2, U., G., delectationi.

<sup>f</sup> E., E. S, U., motibus.

<sup>g</sup> E., et commendatam habeto potestatem.

VIII. *Qualiter lectores fiant.*

Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebom indicans ejus fidem ac vitam atque ingenium; post hæc spectante a plebe tradat ei Codicem de quo lecturus est dicens ad eum: Accipe et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum eis qui verbum Dei ministraverunt.

IX. *Qualiter ostiarii.*

Ostiarius cum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit qualiter in domo Dei debeat conversari, ad suggestionem archidiaconi tradet ei episcopus claves ecclesie de altario dicens: Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus quæ istis clavibus recluduntur.

X. *Qualiter psalmistæ.*

Psalmista, id est cantor, potest absque scientia episcopi sola jussione presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero: Vide quod ore cantas corde credas, ut quod corde credis operibus probes.

XI. *Qualiter virgo sanctimonialis.*

Sanctimonialis virgo cum ad consecrationem suo episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni et sanctimonie aptis.

143 XII. *Quales viduæ vel sanctimoniales ad baptismi ministerium ordinentur.*

Viduæ vel sanctimoniales quæ ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, instructæ sint ad officium, ut possint aperto et sano sermone docere imperitas et rusticas mulieres tempore quo baptizandæ sunt, qualiter baptizatori ad interrogata respondeant, et qualiter accepto baptismate vivant.

XIII. *Qualiter sponsi benedicantur.*

Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel a paranympis offerantur, qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.

XIV. *De cellula sacerdotis.*

Ut episcopus non longe ab ecclesia hospitium habeat.

XV. *De victu et habitu sacerdotis.*

Ut episcopus vilem suppellectilem et mensam ac victum pauperem habeat, et dignitatis suæ auctoritatem fide et vitæ meritis quærat.

XVI. *Ut episcopus libros Gentilium non legat.*

Ut episcopi libros Gentilium non legant, hæreticorum autem pro necessitate et tempore.

XVII. *Ut episcopus indigentium curam per se non habeat.*

Ut episcopus gubernationem viduarum et pupillorum aut peregrinorum non per se ipsum, sed per archipresbyterum vel archidiaconum agat.

XVIII. *Ut episcopus per testamentum tuitionem non impendat.*

Ut episcopus tuitionem testamentorum non suscipiat.

<sup>a</sup> T. 2, U., expectante.

<sup>b</sup> *Æ.*, conventia et testimonium requiratur.

<sup>c</sup> U. G., clericorum plebiumque..... nisi clericorum

A XIX. *Ut episcopus pro rebus sæcularibus non litiget.*

Ut episcopus nec provocatus pro rebus transitoriis litiget.

XX. *Ut episcopus tantum spiritualibus debeat esse intentus.*

Ut episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed ut lectioni et orationi et 144 verbi Dei prædicationi tantummodo vacet.

XXI. *Ut episcopus ægrotrans pro se legatum ad synodum mittat.*

Ut episcopus ad synodum ire satis gravi necessitate inhibeat, sic tamen ut in persona sua legatum mittat, suscepturus salva fidei veritate quicquid synodus statuerit.

XXII. *Ut episcopus sine testimonio clericorum et plebis clericos non instituat.*

Ut episcopus absque consilio presbyterorum suorum clericos non ordinet, ita ut civium conventiam et testimonium quærat <sup>b</sup>.

XXIII. *Ut episcopus causas clericis præsentibus audiat.*

Ut episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia episcopi nisi clericorum suorum præsentia confirmetur <sup>c</sup>.

XXIV. *Ut episcopus quando verbum facit, nullus discedat.*

Sacerdote verbum in ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit excommunicetur.

XXV. *De discordantibus episcopis.*

Dissidentes episcopos si non timor Dei, synodus reconciliet.

XXVI. *Ut episcopus dissidentes concordare compellat.*

Studendum episcopo, ut dissidentes fratres sive clericos sive laicos ad pacem magis quam ad iudicium cohortetur.

XXVII. *De episcopo vel clerico in alium locum transferendo.*

Ut episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis clericus; sane si id utilitas Ecclesie faciendum poposcerit, decreto pro eo clericorum et laicorum episcopis porrecto, per sententiam synodi transferatur, nihilominus alio in loco ejus episcopo subrogato; inferioris vero gradus sacerdotes vel alii clerici concessionem suorum episcoporum possunt ad alias ecclesias transmigrare.

145 XXVIII. *De damnatione episcoporum a synodo retractanda.*

Irritam esse injustam episcoporum damnationem; idcirco a synodo retractandam.

XXIX. *De episcopo qui alicui crimen objecerit.*

Episcopus si clerico vel laico crimen infigerit <sup>d</sup>, deducatur ad probationem in synodo.

XXX. *Quod irrita sit episcoporum sententia in absentem.*

Caveant iudices Ecclesie ne absente eo cujus et plebium præsentia confirmetur.

<sup>d</sup> *Æ.*, B. R., U., impegerit.

causa ventilatur sententiam proferant, quia irrita A erit, imo et causam in synodo pro facto dabunt.

XXXI. *Qualiter ab episcopo res Ecclesie habeantur.*

Ut episcopus rebus Ecclesie tanquam commenda- tis non tanquam propriis utatur.

XXXII. *De irritis distractionibus episcoporum.*

Irrita erit episcoporum donatio vel venditio vel commutatio rei ecclesiasticæ absque conniventia et subscriptione clericorum.

XXXIII. *De episcopis atque presbyteris, ut in ordine suo recipiantur.*

Episcopi vel presbyteri, si causa visitandæ eccle- siæ alterius episcopi ad ecclesiam veniant, in gradu suo suscipiantur, et tam ad verbum faciendum quam ad oblationem consecrandam invitentur.

XXXIV. *De privato consensu presbyteri cum episcopo. B*

Ut episcopus quolibet loco sedens stare presbyte- rum non patiatur.

XXXV. *De consensu presbyteri cum episcopo in ecclesia.*

Ut episcopus in ecclesiæ consensu presbyterorum sublimior sedeat; intra domum vero collegam se presbyterorum [U., G., presbyteri] esse cognoscat.

XXXVI. *Ut presbyteri parochitani aut per se aut per sacristas suos accipiant chrisma.*

Presbyteri qui per dioceses ecclesias regunt, non a quibuslibet episcopis, sed a suis, nec per juniorem clericum, sed aut per se 146 ipsos aut per illum qui sacrarium tenet, ante paschæ solemnitate[m] chrisma petant.

XXXVII. *De obedientia diaconorum erga presbyteros. C*

Diaconus ita se presbyteri ut episcopi ministrum esse cognoscat.

XXXVIII. *Ut diaconus eucharistiam presbyteri jussu ministret.*

Ut diaconus præsentem presbytero eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogit, jussus eroget.

XXXIX. *Ut diaconus jubente presbytero sedeat.*

Ut diaconus quolibet loco jubente presbytero sedeat.

XL. *Ut diaconus coram presbytero interrogatus respondeat.*

Ut diaconus in conventu presbyterorum interroga- tus loquatur.

XLI. *Ut diaconus tempore tantum officii albam induat.*

Ut diaconus tempore tantum oblationis et lectio- nis alba utatur.

XLII. *De clericis qui pro fide tentati sunt.*

Clericum inter tentationes officio suo incuban- tem a gradibus sublimandum.

XLIII. *De his qui pro fide persecutiones ab infidelibus passi sunt.*

Christianum catholicum qui pro catholica fide tri- bulationes patitur omni honore a sacerdotibus hono- randum: etiam et quotidianus victus ei ministretur.

<sup>a</sup> Ex U. In A. et reliquis: clericum inter tentationes ab officio suo incubantem.

<sup>b</sup> Ex B. R., E. 3, T. 1, 2, U., G. In A.: barbam namque radicatus radat. In A., barbam neque radici-

XLIV. *De tonsura clericorum.*

Clericus nec comam nutriat, nec b barbam radat.

XLV. *De habitu clericorum.*

Clericus professionem suam etiam habitu et in- cesso probet, et ideo nec vestibus nec calceamentis decorem quærat.

XLVI. *De continentia clericorum.*

Clericus cum extraneis mulieribus non habitat.

147 XLVII. *De incensu clericorum.*

Clericus per plateas et andronas nisi certa et maxima officii sui necessitate non ambulet.

XLVIII. *De clericis qui extra necessitatem ad nundinas vadunt.*

Clericus, qui non pro emendo aliquid in nundinis vel in foro deambulat, ab officio suo degradetur.

XLIX. *De vigiliis clericorum.*

Clericus, qui absque corpusculi sui inæqualitate vigiliis deest, stipendio privatus excommunicetur.

L. *De clericis ab officio declinantibus.*

Clericum inter tentationes ab officio declinantem vel negligentius agentem ab ipso officio remo- vendum.

LI. *De clerici artificio.*

Clericus, quamlibet c verbo Dei eruditus, artificio victum quærat.

LII. *De clerici vestimento et victu.*

Clericus victum et vestimentum sibi ab artificio vel agricultura absque officii sui duntaxat detri- mento præparet.

LIII. *De clericis invalidis.*

Omnes clerici qui ad operandum invalidi sunt et artificio et litteras discant.

LIV. *De clericis invidis.*

Clericus invidens fratrum profectibus donec in vi- tio est non promoveatur.

LV. *De clericis accusatoribus.*

Ut episcopi accusatores fratrum excommunicent; et si emendaverint vitium, recipiant eos ad commu- nionem, non ad clerum.

LVI. *De clericis adulatoribus et proditoribus.*

Clericus qui adulationibus et prodicionibus vacareprehenditur degradetur ab officio.

LVII. *De clericis maledicis.*

Clericus maledicus maximeque in sacerdotibus, D cogatur ad postulandam veniam; si 148 noluerit, degradetur nec unquam ad officium absque satisfac- tione revocetur.

LVIII. *De clericis frequenter litigantibus.*

Ejus qui frequenter litigat et ad accusandum faci- lis est testimonium nemo absque gravi examine reci- piat.

LIX. *De discordantibus clericis.*

Discordantes clericos episcopus vel ratione vel potestate ad concordiam trahat: inobedientes syno- dus per audientiam damnet

us abradat.

<sup>c</sup> Ex A., B. R., T. 1, 2, U., G. In A., E. 3, quo- libet.

**LX. De clericis turpiloquis vel vagis.**

Clericum scurrilem et verbis turpibus jocularum ab officio retrahendum.

**LXI. De clericis per creaturas jurantibus.**

Clericum per creaturas jurantem acerrime objurgandum; si perstiterit in vitio excommunicandum.

**LXII. De clericis sanis jejunia polluentibus.**

Clericum qui tempore iudicii jejunii absque inevitabili necessitate jejunium rumpit minorem habendum: districte coerceatur.

**LXIII. De clericis inter epulas cantantibus.**

Clericum inter epulas cantantem acerrime objurgandum; si perstiterit in vitio excommunicandum.

**LXIV. De his qui studiose dominico die jejunt.**

Qui dominico die studiose jejunat non credatur catholicus.

**LXV. De pascha uno tempore celebranda.**

Paschæ solemnitas uno die et tempore celebranda.

**LXVI. Ut clericus recurat ad synodum.**

Clericus, qui episcopi circa se distractionem injustam putat, recurat ad synodum.

**LXVII. De seditiosis clericis.**

Seditionarios nunquam ordinandos clericos, sicut nec usurarios vel injuriarum suarum ultores.

**149 LXVIII. De pœnitentibus ordinatis b.**

Ex pœnitentibus quamvis bonus clericus non ordinetur: si per ignorantiam episcopi factus fuerit, deponatur a clero, quia ordinationis tempore non prodidit se fuisse pœnitentem: si autem sciens episcopus ordinaverit, etiam ipse ab episcopatus sui ordinandi duntaxat potestate privetur.

**LXIX. De episcopis damnatis c.**

Simili sententiæ subiacebit episcopus si sciens ordinaverit clericum eum qui viduam aut repudiatam uxorem habuit vel secundam.

**LXX. De clericorum convivio d.**

Clericus hæreticorum vel schismaticorum tam convivia quam sodalitates æqualiter vitet.

**LXXI. De conventiculis hæreticorum.**

Conventicula hæreticorum non ecclesias, sed conciliabula appetenda.

**LXXII. Neque cum hæreticis psallendum.**

Cum hæreticis neque orandum neque psallendum.

**LXXIII. De his qui communicaverint cum excommunicato.**

Qui communicaverit vel oraverit cum excommunicato, sive clericus sive laicus, excommunicatur.

**LXXIV. De pœnitentium lege.**

Ut sacerdos pœnitentiam imploranti absque personæ acceptione pœnitentiæ leges injungat.

**LXXV. De negligentioribus pœnitentibus.**

Ut negligentiores pœnitentes tardius recipiantur.

<sup>a</sup> E., B. R., E. 3, T. 1, 2, U., G., clericum inter epulas cantantem supradictæ sententiæ severitate coercendum.

<sup>b</sup> In reliquis, præter A., Ut ex pœnitentibus ordinatus clericus deponatur.

<sup>c</sup> In reliquis, præter A., Ut episcopus viduæ vel

**A LXXVI. De pœnitentibus pœnitentiam si postea obmutescant.**

Is qui pœnitentiam in infirmitate positus petit, si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit vel in phrenesim verus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt et accipiat pœnitentiam; **150** et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem et infundatur ori ejus eucharistia: si supervixerit, admonetur a supradictis testibus petitioni suæ satisfactum, et subdatur statutis pœnitentiæ legibus, quandiu sacerdos qui pœnitentiam dedit probaverit.

**LXXVII. De pœnitentibus.**

Pœnitentes qui in infirmitate sunt viaticum accipiant.

**LXXVIII. Item de pœnitentibus.**

Pœnitentes qui in infirmitate viaticum eucharistiæ acceperint non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.

**LXXIX. De pœnitentibus si eam aliquo moriantur.**

Pœnitentes, qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint ubi eis subveniri non potuit, memoria eorum et orationibus et oblationibus commendatur.

**LXXX. De manus impositione super pœnitentes.**

Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a sacerdotibus imponatur.

**LXXXI. Ut pœnitentes mortuos efferant et sepeliant.**

Mortuos ecclesiæ pœnitentes efferant et sepeliant.

**LXXXII. Ut pœnitentes semper genua flectant.**

Pœnitentes etiam diebus remissionis genua flectant.

**LXXXIII. De senibus ecclesiæ honorandis.**

Pauperes et senes ecclesiæ plus cæteris honorandos.

**LXXXIV. De infidelibus pro audienda lectione in ecclesia.**

Ut episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam et audire verbum Dei, sive Gentilem, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad missam catechumenorum.

**LXXXV. Ut qui baptizandi sunt nomen dent.**

Baptizandi nomen suum dent, et dum sub abstinentia vini et carni ac mans impositione **151** crebro examinantur, baptismum percipiant.

**LXXXVI. Ut nuper baptizati caste vivant.**

Neophyti aliquandiu et lautioribus epulis et spectaculis vel conjugalibus abstinere.

**LXXXVII. De catholicis qui causas apud infideles proponunt.**

Catholicus qui causam sive justam sive injustam ad iudicium alterius fidei provocat, excommunicatur.

repudiatæ maritum ad clerum promovens deponatur.

<sup>d</sup> In reliquis, præter A., Ut clericus hæreticorum convivia vel consortia fugiat.

<sup>e</sup> E., spectaculis conjugalibus.

<sup>f</sup> E., B. R., T. 1, 2, U., G., causam suam.

LXXXVIII. *De his qui ecclesie prætermissa ad spectacula vadit, excommunicetur.* A CIV. *De viduis quæ professam continentiam prævaricaverunt.*

Qui die solemnî prætermisso ecclesie conventu ad spectacula vadit, excommunicetur.

LXXXIX. *De auguriis et incantationibus.*

Auguriis vel incantationibus servientem a conventu ecclesie separandam, similiter et Judaicis superstitionibus vel feriis inhærentem.

XC. *De energumenis.*

Omni die exorcistæ energumenis manus imponent.

XCI. *Item de energumenis.*

Pavimenta domorum Dei energumeni verrant.

XCH. *De victu energumenorum.*

Energumenis in domo Dei assidentibus victus quotidianus per exorcistas opportuno tempore ministratur. B

XCH. *De discordantium oblationibus.*

Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario neque in gazophylacio recipiantur.

XCV. *De pauperum oppressoribus.*

Eorum qui pauperes opprimunt dona a sacerdotibus refutanda.

XCV. *De his qui oblationes defunctorum ecclesiis fraudant.*

Qui oblationes defunctorum aut negant ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium neatores excommunicentur.

152 XCVI. *De accusatore vel accusato.*

Quærendum in iudicio cuius sit conversationis et fidei is qui accusat et is qui accusatur. C

XCVII. *De religiosis feminis.*

Vir qui religiosis feminis præponendus est ab episcopo loci probetur.

XCVIII. *De laicis doctoribus.*

Laicus præsentibus clericis, nisi ipsis probantibus, docere non audeat.

XCIX. *De mulieribus doctis.*

Mulier quamvis docta et sancta viros in conventu docere non audeat.

C. *Ut mulieres baptizare non præsumant.*

Mulier baptizare non præsumat.

CI. *De viduis adolescentulis.*

Viduae adolescentæ, quæ corpore debiles sunt, sumptu Ecclesie cuius viduæ sunt sustententur. D

CII. *De clericis et viduis.*

Ad reatum episcopi pertinet vel presbyteri qui parochie præeat, si sustentandæ vitæ præsentis causa adolescentiores viduæ vel sanctimoniales clericorum familiaritatibus subjiciantur.

CIII. *De viduis.*

Viduæ quæ stipendio Ecclesie sustentantur tam assiduæ in Dei opere esse debent, ut et meritis et orationibus suis Ecclesiam adjuvent.

<sup>a</sup> *Æ., B. R., E. 3, U., custodiendum.*

<sup>b</sup> *Ex U. et G. desumptus est hic canon, qui deest in reliquis Codicibus.*

Sicut bonum est castitatis præmium, ita et majore observantia et præceptione constituendum est, ut si quæ viduæ, quamlibet adhuc in minoribus annis positæ et immatura ætate a viro relictæ, se devote- rint Deo et veste laicali abjecta sub testimonio episcopi et Ecclesie religioso habitu apparuerint, postea vero ad nuptias sæculares transierint, secundum apostolum Paulum damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis 153 quam Deo voverunt irritam facere ausæ sunt. Tales ergo personæ sint a Christianorum communione alienæ, quæ etiam nec in convivio cum Christianis communicent: nam si adulteræ conjuges reatu sunt suis viris obnoxie, quanto magis viduæ quæ Deo religiositatem voverant crimine adulterii notabuntur, si devotionem quam spontaneæ Deo obtulerunt libidiosa voluptate corruerint atque ad secundas nuptias transitum fecerint? quæ etsi violentia irruente ab aliquo præceptæ fuerint, ac postea delectatione libidinis permanere in conjugium raptori vel violento viro consenserint, damnationi superius comprehensæ teneantur obnoxie: de talibus enim sic ait Apostolus: *Cum enim luxuriatæ fuerint nubere volunt, habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt.*

CV. <sup>b</sup> *De contemptoribus Ecclesie.*

Revera invenitur ex Christianis fieri schismaticos plerumque irrationabiles, quibus ex his dum ut catholici ædificant illi ut hæretici destruere insistent, et alii ecclesias Domini fideli devotione ac compunctione promptissima 154 subornare, alii de his seditionum institutione decresci. De his recte loquitur per Spiritum sanctum propheta: *Benedicti qui ædificant te in æternum, et maledicti sunt qui destruunt muros tuos vel certe qui subvertunt habitationes tuas vel nunc conati sunt minui sancta tua: tu autem domus Dei lætare cum filiis justorum.* Et ab hac institutione Domini placuit omnibus Patribus per provinciam Carthaginiensis consistentibus, ut si quis clericus vel laicus se elevaverit contra Ecclesiam Dei seditionum seminans schismata et non ad culmen charitatis ejus conaverit attendi, sed fundamenta ejus volens subruere, quæ est stabilitas omnium Christianorum, si clericus fuerit, cadat de proprio gradu; si laicus, segregatus ab Ecclesia Dei quam spernit et a conventu totius Christianæ religionis, a sancta communione maneat exclusus.

Aurelius episcopus Ecclesie Carthaginensis subscripsi.

Donatianus Teleptensis primæ sedis episcopus subscripsi.

Augustinus Hipponæ regionis episcopus subscripsi.

Similiter omnes episcopi subscripserunt <sup>d</sup>.

<sup>c</sup> *T. 2., Hipponæ regionis. U. Hipponæ regie.*

<sup>d</sup> *U., subscripserunt simul cum his cccciv.*

## CONCILIIUM CARTHAGINENSE QUINTUM

MADITUM AB EPISCOPIS NUMERO SEPTUAGINTA TRIBUS, ERA CCCCLXXXVIII. POST CONSULETUM FLAVII STILICONIS VIRI CLARISSIMI, DIE XVII KALENDAS JULIAS.

Carthagine in secretario basilicæ restitute cum Aurelius episcopus una cum coepiscopis suis consedisset, astantibus etiam diaconibus, constituta sunt hæc quæ in subsequenti concilio definita sunt <sup>a</sup>.

**155 I. De clericis ad testimonium non pulsandis.**

In principio statuendum, ut si quis forte in ecclesia quamlibet causam jure apostolico ecclesiis imposito agere voluerit, et fortasse decisio clericorum uni parti displicuerit, non liceat clericam in iudicium ad testimonium devocari eum, qui cognitor vel præseus fuit [U., fuerit], ut nulla ad testimonium dicendum ecclesiastici cujuslibet persona pulsetur.

**II. De clericis pro crimine suo damnatis.**

Et illud statuendum, ut si quis cujuslibet honoris clericus iudicio episcoporum quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab ecclesiis quibus præfuit, sive a quolibet homine defensari, interposita pœna damni, pecuniæ atque honoris, a quo nec ætatem nec sexum excusandum esse præcipiant.

**III. De sacerdotibus et levitis ut ab uxoribus se contineant.**

Præterea cum de quorundam clericorum quamvis erga uxores proprias incontinentia referretur, placuit episcopos, presbyteros et diaconos secundum priorum statuta etiam ab uxoribus continere; quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio: cæteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque consuetudinem observari debere.

**IV. De rebus Ecclesiæ inconsulto metropolitano episcopo non alienandis.**

Placuit etiam ut rem Ecclesiæ nemo vendat: quod si aliqua necessitas cogit, hanc insinuandam esse primati provinciæ, ut cum statuto numero episcoporum utrum faciendum sit arbitretur; quod si tanta urget necessitas Ecclesiæ ut non possit ante consulere, saltem post factum curet hoc statim agere vel vicinis episcopis hoc antea indicare et ad concilium referre easdem Ecclesiæ necessitates; quod si non fecerit, reus concilii venditor teneatur honore amisso <sup>b</sup>.

**V. Ut nullus episcopus relicta cathedra in diocesi resident.**

Rursum placuit ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliquam ecclesiam in diocesi constitutam se conferre, vel in re proprii diutius quam oportet constitutum **156** curam vel frequentationem propriæ cathedræ negligere.

<sup>a</sup> U., in subsequentibus definita sunt.

<sup>b</sup> In Æ., B. R., T. 1, 2, U., desunt verba: honore amisso.

<sup>c</sup> Ex cæteris Codicibus desumpta sunt verba: te.

**A VI. De his qui nullo testimonio se baptizatos noverunt ut baptizentur.**

Item placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt <sup>c</sup> per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari: hinc enim legati Maurorum fratres nostri consuluerunt, quia multos tales a barbaris redimunt.

**VII. De tempore paschali seu concilii.**

Item placuit ut dies venerabilis paschæ formatarum subscriptione omnibus intimetur, dies vero concilii x kalendas Novembris servetur, et scribendum ad singularum quarumque provinciarum primates, ut quando apud se concilium congregat, istum diem non impediant.

**VIII. De intercessoribus ne cathedram morientis episcopi diu retineant.**

Item constitutum est ut nulli intercessori licitum sit cathedram, cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis vel seditionibus retinere, sed dare operam ut intra annum eisdem episcopum provideat; quod si neglexerit, anno exempto interventor alius tribuatur.

**IX. De defensore ecclesiarum a principe postulando.**

Ab imperatore autem universis visum est postulandum propter afflictionem pauperum quorum molestiis sine intermissione agitur Ecclesia, ut defensores eis adversus potentias divitum cum episcoporum provisione deligantur.

**X. Ut episcopi ad diem concilii recurrant.**

Item placuit ut quotiescunque concilium congregandum est, episcopi qui neque ægritudine neque alia graviore necessitate impediuntur competenter occurrant <sup>d</sup>, primatibusque suarum provinciarum intimetur, ut de universis episcopis vel duæ vel tres termæ fiant, ac de singulis turmis vicissim quotquot electi fuerint ad diem concilii instantissime occurrant; quod si non potuerint **157** occurrere, excusationes suas in tractatoria <sup>e</sup> conscribant, vel si post adventum tractatoriæ aliquæ necessitates repente forsitan ortæ fuerint, nisi rationem impedimenti sui apud suam primatem reddiderint, ecclesiæ suæ communionem debere esse contentos.

**XI. Ut lapsis sacerdotibus manus eis sicut laicis non ponantur.**

Ita confirmatum est ut si quando presbyteri vel diaconi in aliqua graviore culpa convicti fuerint, qua stentur, neque ipsi sunt, quæ desunt in A.

<sup>d</sup> Ex cæteris Codicibus desumpta sunt verba: competenter occurrant, quæ desunt in A.

<sup>e</sup> Æ., B. R., T. 1, 2, U., tractoria..... tractoriæ.



eos a ministerio necesse sit remove, non eis manus vel tanquam poenitentibus vel tanquam fidelibus laicis imponatur; neque unquam permittendam, ut rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur.

**XII. De clericis excommunicatis quandiu eis asserere liceat.**

Rursum constitutum est, ut quoties clericis convictis et confessis in aliquo crimine vel propter eorum verecundiam parcitur vel propter Ecclesiae opprobrium aut insolentem insultationem haereticorum atque gentilium, si forte causae suae adesse voluerint et innocentiam suam asserere, intra annum excommunicationis hoc faciant: si vero intra annum causam suam purgare contempserint, nulla eorum vox postea penitus audiatur.

**XIII. De clericis vel monachis ab alio episcopo ordinatis.**

Item placuit, ut si quis de alterius monasterio repertum vel ad clericatum promovere voluerit vel in suo monasterio majorem monasterii constituere, episcopus qui hoc fecerit, a caeterorum communione sejunctus, suae tantum plebis communione contentus sit, et ille neque clericus neque praepositus perseveret.

**158 XIV. De episcopis qui infidelibus res suas relinquunt.**

Item constitutum est ut si quis episcopus haereditate extraneos a consanguinitate sua vel haereticos etiam consanguineos aut paganos Ecclesiae praetulerit, saltem post mortem anathema ei dicatur, atque no-

men ejus inter Dei sacerdotes nullomodo recitetur, nec excusari possit si intestatus defecerit, quia utique debuit factus episcopus rei suae ordinationem congruam suae professioni nequaquam differre.

**XV. De basilicis quae sine martyrum reliquiis dedicatae sunt.**

Item placuit, ut de altaribus quae passim per agros, aut vias tanquam memoriae martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiae martyrum conditae probantur, ab episcopis qui iisdem locis praesunt si fieri potest evertantur: si autem hoc per tumultus populares non sinitur, plebes tamen admonentur ne illa loca frequentent, ut qui recte sapiunt nulla ibi superstitione devincti teneantur. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus aut aliqua reliquiae sunt, aut origo alicujus habitationis vel passionis fidelissima origine traditur; nam quae per somnia et inanes quasi revelationes quorumlibet hominum ubicumque constituuntur altaria omnimodo improbantur.

**XVI. De idolatriis destruendis.**

Item placuit ab imperatoribus gloriosissimis peti, ut reliquiae idolatriae non solum in simulacris sed in quibuscumque locis vel lucis vel arboribus omnimodo deleantur.

Aurelius episcopus ecclesiae Carthaginiensis his supra comprehensis in nostro concilio statutis subscripsit.

Similiter septuaginta tres episcopi subscripserunt.

## XVII

### CONCILIUM CARTHAGINENSE SEXTUM

HABITUM AB EPISCOPIS DUCENTIS DECEM ET SEPTEM, ERA CCCCLVII, UBI ACTUM EST UT NICENUM CONCILIUM AB EPISCOPIS ORIENTALIBUS PETERETUR: CUI SYNODO INTERFUIT LEGATIO ECCLESIAE ROMANAE, FAUSTINUS SCILICET EPISCOPUS, PHILIPPUS ET ASELLUS PRESBYTERES, POST CONSULATUM GLORIOSISSIMORUM IMPERATORUM HONORII XII ET THEODOSII VIII AUGUSTORUM, VIII KALENDAS JUNIAS.

**159 - 160** Carthagine in secretario basilicae C Faustini cum Aurelius papa una cum Valentino primae sedis provinciae Numidiae Faustinoque ecclesiae Potentinae provinciae Italiae Piceni legato Ecclesiae Romanae, sed et legatis diversarum provinciarum Africarum id est Numidiarum duarum, Byzacenae, Mauritaniae Sitiphensis et Mauritaniae Caesariensis, sed et Tripolis, et Vincentio Culusitano, Fortunatiano et caeteris episcopis provinciae proconsularis ducentis decem et septem, necnon Philippo et Asello presbyteris atque legatis Romanae Ecclesiae condisset, astantibus diaconibus, Aurelius episcopus dixit.

I. Allocutio <sup>a</sup> Aurelii episcopi ad synodum.

Post diem constitutum concilii, ut recordamini, fratres beatissimi, multa flagitata sunt, exspectantes fratres nostros qui nunc ad praesentem synodum legati advenierunt, quae gestis necesse est socientur,

<sup>a</sup> Illic et sequentes tituli ad marginem in A. depicti sunt; nonnunquam vero cum in textum inserti

qua de re Domino nostro de tantae congregationis coetu gratias referimus. Superest ut tam exemplaria Niceni concilii quae nunc habemus et a patribus constituta sunt, quam etiam hic a decessoribus nostris eandem synodum firmantes vel quae secundum eam formam per omnes clericorum gradus a summo usque in ultimum salubriter ordinata sunt, in medium proferantur. Ab universo concilio dictum est: Proferantur. Daniel notarius recitavit: Niceni concilii fidei professio vel statuta ita se habent.

II. Responsio Faustini episcopi legati Romanae Ecclesiae de his quae in Ecclesia partim canone, partim consuetudine sunt firmata.

Haec <sup>b</sup> cum audisset Faustinus episcopus plebis Potentinae provinciae Italiae Piceni legatus Romanae Ecclesiae dixit: Injuncta nobis sunt a sede apostolica aliqua per scripturam, aliqua etiam in mandatis cum vestra beatitudine tractanda, sicuti et gestis sint periodum truncare videntur.

<sup>b</sup> A., B. R., U., G., Et cum dixisset, Faustianus.

superioribus meminimus, hoc est de Nicænis canonibus, ut conserventur et constitutio eorum et consuetudo, quia et aliqua ordine et 161 canone tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt. De his ergo si placet beatitudini vestræ tractemus, ut et ad sedem venerandam rescriptis vestris intimare possitis atque nos admonuisse apud venerabilem papam evidenter clareat, licet et capitula actionum jam inserta sint gestis: de ipsis ergo, ut superius dixi, quid vestræ beatitudini placeat agere debemus. Veniat ergo commonitorium in medium, ut scire possit vestra beatitudo quid in eo contineatur, ut ad singula respondeatur.

### III. De commonitorio Romani papæ recitato.

Aurelius episcopus dixit: Proferatur commonitorium quod fratres et consacerdotes nostri aetis nuper allegaverunt, et cætera quæ acta sunt vel quæ agenda sunt. Subsequenter Daniel a notarius recitavit commonitorium. Fratri Faustino et filiis Philippo et Asello presbyteris Zosimus episcopus. Vobis commissa negotia non latent, vos ita, ac si nostra ibi imo quia nostra ibi in vobis presentia est, cuncta peragite, maxime cum et hoc nostrum possitis habere mandatum, et verba canonum quæ in pleniorum firmitatem huic commonitorio inseruimus: ita enim dixerunt dilectissimi fratres in concilio Nicæno, cum de episcoporum appellatione decernerent. Placuit autem ut si episcopus accusatus fuerit, et iudicaverint congregati episcopi regionis ipsius et de gradu suo dejecerint eum, et appellasse videtur et confugerit ad beatissimum Ecclesiæ Romanæ episcopum, et voluerit audiri et iustum putaverit ut renovetur examen, scribere his episcopis dignetur qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant et juxta fidem veritatis definiant: quod si quis rogat causam suam iterum audiri, et deprecatione sua moverit episcopum Romanum ut e latere suo presbyterem mittat, erit in potestate episcopi quid velit et quid existimet; et si decreverit mittendos esse qui præsentem cum episcopis iudicent habentes auctoritatem ejus a quo destinati sunt, erit in ejus arbitrio; si vero crediderit sufficere episcopos ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicaverit. †

### IV. Alipii episcopi responsio pro veris exemplariis Nicæni concilii perquirendis.

Et cum recitaret, Alpius episcopus ecclesiæ Tagastensis legatus provincie Numidie dixit: De hoc jam superioribus etiam litteris concilii nostri rescriptimus, et id nos servatos profiteremur quod in Nicæno concilio 162 constitutum est: adhuc tamen movet quoniam cum inspiceremus Græca exemplaria hujus synodi Nicæne, ista ibi nescio qua ratione minime invenimus. Unde petimus venerationem tuam, sancte papa Aureli, ut quia hoc authenticum concilium Nicænum in urbe dicitur esse Constantinopolitana, aliquos cum scriptis tuæ sanctitatis mittere di-

gnæris, et non solum ad ipsum sanctum fratrem nostrum Constantinopolitanum episcopum, sed etiam ad Alexandrinum et Antiochenum venerabiles sacerdotes, qui hoc nobis concilium sub adstipulatione litterarum suarum dirigant, ut omnis postmodum ambiguitas auferatur, quia nos ita ut frater Faustinus attulit minime invenimus: ista nos tamen paulisper servaturos, ut antea dixi, donec integra exemplaria veniant profiteremur. Petendus est autem litteris nostris etiam venerabilis Ecclesiæ Romanæ episcopus Bonifacius, ut ipso quoque dignetur ad memoratas ecclesias aliquos mittere, qui eadem exemplaria prædicti Nicæni concilii secundum ejus possint scripta perferre [T. 2. præferre]. Nunc autem memorati Nicæni concilii qualia exemplaria habemus his gestis sociamus.

### V. Ubi Faustinus episcopus dicit, ut Romano papæ synodus pro inquirenda Nicæne synodi veritate nescat.

Faustinus episcopus legatus Ecclesiæ Romanæ dixit: Nec vestra sanctitas præjudicat Ecclesiæ Romanæ sive de hoc capitulo sive de aliis, quia dicere dignatus est frater noster et coepiscopus Alipius dubios esse canones, sed hæc ipsa ad sanctum ac beatissimum papam nostrum scribere dignemini, ut et ipse integros canones inquirens cum vestra sanctitate de omnibus constitutis tractare possit. Sufficiat autem ut et ipse beatissimus episcopus urbis Romæ, sicut et vestra sanctitas apud se tractat, ita et ipse inquirat, ne contentio inter ecclesias nasci videatur, sed magis charitate fraterna deliberare possitis ipso rescribente quid melius observari debeat. Aurelius episcopus dixit: Præter ista quæ deprompsimus actis necesse est ut etiam nostræ parvitalis litteris sancto fratri et consacerdoti nostro Bonifacio singula quæ tractamus plenissime intimemus: ergo si omnibus placet prosecutio nostra, ore omnium condicamus. Universum concilium dixit: Placet.

### VI. De sententia Sardicensis concilii recitata postulante Novato episcopo.

Novatus episcopus legatus Mauritanie Sitiphensis dixit: Nunc meminimus in hoc 163 presenti commonitorio lectum etiam de presbyteris vel diaconibus contineri, qualiter audiri ab episcopis suis vel a finitimis debeant, quod in Nicæno concilio minime legimus: unde hoc ipsum jubeat sanctitas vestra nobis recitari. Aurelius episcopus dixit: Recitetur ad locum etiam hoc quod deposcitur. Daniel notarius recitavit: De appellationibus autem clericorum, id est minoris loci, et ipsius synodi certa responsio, de qua re quid acturi sitis credimus inserendum, quod taliter dictum est ex Sardicensi concilio (Titulo 17). Osius episcopus dixit: Quid me adhuc moveat reticere non debeo: Si episcopus quis forte iracundus, quod esse non debet, cito aut aspere commoveatur adversus presbyterum sive diaconem suum et exterminare eum de ecclesia voluerit, providendum est

† *Æ.*, B. R., agenda sunt subsequantur. Daniel. U., agenda sunt, subsequantur. Daniel.

† *Æ.*, B. R., T. 1, 2, adhuc tamen nos movet.

• Ex reliquis præter A., in quo, renovari.

ne innocens damnetur aut perdat communionem, habitus, ea capitula quæ in communitorio præsens frater et coepiscopus noster Faustinus sed et compresbyteri Philippus et Asellus secum attulerunt, aut ibidem reperta a nobis firmabuntur, aut si non inveniuntur, collecta synodo de hoc in sequenti tractabimus. Daniel notarius Nicæni concilii professionem fidei vel ejus statuta recitavit in concilio Africano.

VII. *Ubi Augustinus episcopus cum synodo Nicænum concilium conservare promittit.*

Cumque recitaretur, Augustinus episcopus ecclesie Hipponiregiensis legatus provincie Numidie dixit: Et hoc nos servaturos profitemur salva diligentiori inquisitione concilii Nicæni. Aurelius episcopus dixit: Si hoc etiam omnium vestri charitati placet, responsione firmate. Universum concilium dixit: Omnia quæ in Nicæno concilio statuta sunt nobis omnibus placent. Jucundus episcopus ecclesie Siphétolæ legatus provincie Byzacenæ dixit: Quod statutum est in Nicæno concilio violari a quoquam nullatenus potest.

VIII. *Ubi Faustinus episcopus pro dubitate recitati capituli Romano papæ reperit scribendum.*

Faustinus episcopus legatus Ecclesie Romanæ dixit: Adhuc secundum professionem sanctitatis vestræ tam sancti Alipii quam etiam fratris nostri Jucundi aliqua firmari credo, aliqua infirmari, quod non debet, cum jam in dubium ipsi canones venerint; ergo ut placet et nobis et beatitudini vestræ, ad sanctum et venerabilem Ecclesie Romanæ episcopum vestra scribere dignetur sanctitas, ut et ipse quod et sanctus Augustinus statuere dignatus est deliberare possit **164** utrumnam et hoc constituendum sit ac retinendum, hoc est de appellationibus inferioris gradus. Si ergo adhuc in dubium venit de hoc capitulo, justum est ut beatissimæ Romanæ sedis episcopus informari debeat, si tamen approbatis canonibus hoc invenire poteritis.

IX. *Ubi synodus exemplaria Nicæni concilii magis ab orientalibus episcopis expetenda decrevit.*

Aurelius episcopus dixit: Etiam quæ dudum vestræ charitati intimavimus, nunc patimini exemplaria statutorum Nicæni concilii, sed et quæ hic salubriter a nostris decessoribus secundum ejusdem concilii formam vel quæ nunc a nobis ordinata sunt recitari et gestis inseri. Omne concilium dixit: Exemplaria fidei et statuta Nicæne synodi, quæ ad nostrum concilium per beatæ recordationis olim prædecessorem tuæ sanctitatis qui interfuit Cecilianum episcopum allata sunt, sed et quæ patres ea exemplaria [Æ., B. R., U., exempla] sequentes hic constituerunt vel nunc communi tractatu statuimus, his gestis ecclesiasticis inserta manebunt, ita ut superius dictum est venerabilibus viris Antiochenæ et Alexandrinæ sed et Constantinopolitanæ Ecclesiarum [U., G., Ecclesie] episcopis scribere vestra beatitudo dignetur, ut exemplaria verissima concilii Nicæni sub adstipulatione litterarum suarum dirigant, quo declarata ve-

<sup>a</sup> Æ., B. R., T. 1, U., hoc inveniri possit. T. 2, inveniri poterit.

X. *Professio fidei Nicæni concilii.*

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem omnium visibilium et invisibilium conditorem: et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei, natum de Patre unigenitum, hoc est de substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, unius substantie cum Patre, quod Græci dicunt homousion, per quem omnia facta sunt, sive quæ in cælo, sive quæ in terra, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, homo factus passus est, et resurrexit tertia die, ascendit in cælos, sedet ad dexteram Patris, **165** inde venturus judicare vivos et mortuos: et in Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt: Erat quando non erat, et priusquam nasceretur non erat, et quia ex nullis exstantibus factus est, aut ex aliqua substantia vel natura, dicentes mutabilem et convertibilem Filium Dei; hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia.

XI. *Epistola ad Bonifacium urbis Romæ episcopum ab Aurelio et reliquis Africanæ provincie episcopis per superius denominatos Romanæ Ecclesie legatos pro eo ipso concilio directæ.*

Domino beatissimo et honorabili fratri Bonifacio Aurelius, Valentinus primæ sedis provincie Numidie et cæteri qui præsentem adfuimus numero ducenti decem et septem ex omni concilio Africæ.

Quoniam Domino placuit, ut de his quæ nobiscum egerunt sancti fratres nostri coepiscopus Faustinus et compresbyteri Philippus et Asellus, non beatæ memoriæ episcopo Zosimo a quo ad nos mandata et litteras attulerunt, sed tuæ venerationi qui in ejus loco es divinitus constitutus, humilitas nostra rescriberet; ea breviter insinuare debemus quæ utrorumque concordia terminata sunt, non ea quæ prolixis gestorum voluminibus continentur, in quibus salva quidem charitate non tamen sine parvo alterationis labore demorati sumus, ea gestis deliberantes quæ nunc ad causam pertinent; quanquam et ille, si adhuc esset in corpore, hoc acciperet gratius quod videret pacatius terminatum, domine frater. Apiarius presbyter, de cujus et ordinatione et excommunicatione et provocatione fuerat exortum non solum Siccensi verum etiam totius Africæ Ecclesie non leve scandalum, de omnibus erroribus suis veniam petens communioni est restitutus: prior autem coepiscopus noster Siccensis Urbanus quod in eo corrigendum visum est sine ulla dubitatione correxerat: quia vero paci et quieti Ecclesie non tantum ad præsens sed etiam in posterum prospiciendum

<sup>b</sup> In omnibus Codicibus: pro id ipsum concilium.

fuit, quoniam talia multa præcesserunt ut vel similia vel etiam graviora deinceps præcaveri oporteret : placuit nobis ut de Siccensi Ecclesia, retento scilicet honore gradus sui, presbyter removeretur Apiarius, et accepto epistolio ubicunque alibi vellet et posset presbyterii munere fungeretur; quod eidem ipsi per litteras proprias postulanti sine difficultate concessimus. Sane priusquam hæc causa isto termino clauderetur, iater alia quæ diuturnis [U., diutinis] disputationibus 166 versabamur, quia ratio ipsa poscebat ut apud acta ecclesiastica a fratribus nostris Faustino coepiscopo et Philippo atque Asello presbyteris quæreremus, ut promerent quidquid eis nobiscum agendum fuisset injunctum, nonnulla quidem sine ullo scripto prosecuti sunt verbis : sed cum id potius flagitarem quid in litteris ferrent, commonitorium protulerunt, quod recitatum nobis etiam gestis quæ secum ad vos deferunt est alligatum : in quo eis quatuor quædam nobiscum gerenda mandata sunt : unum de appellationibus episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ sacerdotem : alterum ne ad comitatum episcopi importune navigent : tertium de retractandis presbyterorum et diaconorum causis apud finitimos episcopos, si a suis excommunicati perperam [U., prope] fuerint : quartum de Urbano episcopo excommunicando vel etiam Romam evocando, nisi ea quæ videbantur corrigenda corrigeret. Quorum omnium de primo et tertio id est ut Romam liceat episcopo provocare, et ut clericorum causæ apud provinciarum suarum episcopos finiantur, jam priori anno etiam litteris nostris ad eundem venerabilis memoriæ Zosimum episcopum datis insinnare curavimus, ut ea servare sine ulla ejus injuria paulisper sineremus utque ad inquisitionem statutorum concilii Nicæni. Et nunc de tua poscimus sanctitate, ut quemadmodum ea apud Nicæam a patribus acta vel constituta sunt sic ea nobis facias custodiri, et ibi apud vos ista quæ in commonitorio attulerunt facias exerceri. Item istud : Si episcopus accusatus fuerit, et judicaverint congregati episcopi regionis ipsius et de gradu suo dejecerint eum, et appellasse videtur et confugerit ad beatissimum Romanæ Ecclesiæ episcopum, et voluerit audiri et justum putaverit ut renovetur examen, scribere his episcopis dignetur qui in finitima et propinqua provincia sunt, ut ipsi diligenter requirant omnia et juxta fidem veritatis definiant : quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit episcopum Romanum ut e latere suo presbyteres <sup>b</sup> mittat, erit in potestate episcopi quid velit et quid æstimet; et si decreverit mittendos esse qui præsentibus cum episcopis judicent habentes auctoritatem ejus a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio : si vero crediderit sufficere episcopos ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo suo consilio judicaverit. Item de presbyteris et diaconibus : Si <sup>a</sup> episcopus quis iracundus, quod esse non debet, cito aut aspere

A commoveatur adversus presbyterorum sive diaconum suum et exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum 167 est ne innocens damnetur aut perdat communionem, habeat potestatem ejectus ut finitimos interpellet episcopos et causa ejus audiat et diligentius tractetur, quia non oportet ei negari audientiam roganti; et ille episcopus qui aut juste aut injuste rejecit patienter accipiat ut negotium discutatur, ut aut probetur ejus aut emendetur sententia. Hæc utique usque ad adventum verissimorum exemplariorum Nicæni concilii inserta gestis sunt, quæ si ibi quemadmodum constituta sunt et quemadmodum ipso, quod apud nos fratres ex apostolica sede directi allegaverunt, commonitorio continentur, eo ordine vel apud vos in Italia custodirentur, nullomodo nos talia qualia commemorare jam nolumus vel tolerare cogemur vel intolerabilia pateremur. Sed credimus, adjuvante misericordia Dei nostri, quod tua sanctitate Romanæ Ecclesiæ præsidente non sumus jam istum typhum passuri, et servabuntur erga nos ea quæ nobis etiam non dissidentibus custodiri debeant cum fraterna charitate secundum sapientiam atque justitiam, quam tibi donavit Altissimus, etiam ipse perspicias [U., G., prospicias] esse servanda, nisi forte aliter se habeant canones concilii Nicæni. Quamvis enim plurimos Codices legerimus, sed nusquam in Nicæno concilio in Latinis Codicibus legimus quemadmodum in supradicto commonitorio inde directa sunt : quia hic in nullo Codice ea potuimus invenire, ex Orientalibus Ecclesiis, ubi perhibentur eadem decreta posse etiam authentica reperiri, magis nobis desideramus afferri. Pro qua re tuam quoque venerationem obsecramus, ut scribere etiam ipse digneris ad illarum partium sacerdotes, hoc est Ecclesiæ Antiochenæ Alexandrinæ et Constantinopolitanæ, et si aliis etiam tuæ placuerit sanctitudini [Æ., BR., U., sanctitati], ut inde ad nos idem canones apud Nicæam civitatem a patribus constituti veniant, te potissimum hoc beneficium cunctis occidentalibus ecclesiis in Domini adjutorio conferente. Quis enim dubitet exemplaria esse verissima concilii in Græcia Nicæni congregati, quæ tam diversis locis et de nobilibus Græcis ecclesiis allata sunt et comparata concordant? Quod, donec fiant hæc quæ in commonitorio supradicto a nobis allegata sunt de appellationibus episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ sacerdotem et de clericorum causis apud provinciarum suarum episcopos terminandis, nos usque ad probationem servaturos esse profiteamur, et beatitudinem tuam ad hoc nos adjuturam in Dei voluntate confidimus. Cætera vero quæ in nostra synodo gesta vel firmata sunt, quoniam supradicti fratres nostri Faustinus episcopus, Philippus 168 et Asellus presbyteri secum detulerunt, si dignatus fueris, tuæ nota facient sanctitati. Et subscripta alia manu : Dominus noster te nobis annis plurimis custodiat, beatissime frater <sup>d</sup>. Aurelius Carthaginis episcopus, Alipius, Augusti-

<sup>a</sup> Ex concilio Sardicensi, titulo 7.

<sup>b</sup> Æ., B. R., presbyterem.

<sup>c</sup> Ex concilio Sardicensi, titulo 17.

<sup>d</sup> Æ., E. 3, U., frater. Amen.

nus, Possidius, Marinus, et cæteri ducenti decem et septem subscriperunt.

XII. *Rescripta* [T. 2, *rescriptum*] *ad concilium Africanum Cyrilli Alexandrini episcopi et Attici Constantinopolitani episcopi: ubi authentica Nicæni concilii translata de Græco per Innocentium presbyterum transmissa sunt, quæ etiam epistolæ cum eodem concilio Nicæno per memoratum presbyterum Innocentium et Marcellum subdiaconum Ecclesiæ Carthaginis sancto Bonifacio episcopo Ecclesiæ Romanæ sub die vi Kalendas Decembris sunt directæ.*

Domini honorabilibus sanctis fratribus et coepiscopis Aurelio, Valentino, sed et omni sanctæ congregationi in Carthaginensi synodo congregatæ, Cyrillus salutans in Deo charitatem vestram.

Scripta venerationis vestræ multam habentia quærimonia cum omni lætitia per filium nostrum Innocentium presbyterum suscepimus, quibus a nobis speratis, ut de scrinio nostræ Ecclesiæ verissima exemplaria ex authentica synodo apud Nicæam civitatem metropolim Bithyniæ a sanctis Patribus constituta atque firmata sub nostræ fidei professione vestræ dilectioni porrigamus. Unde domini honorabiles [*Æ.*, venerabiles] fratres, salute præeunte, necesse habui per hunc <sup>a</sup> latorem filium nostrum Innocentium fidelissima exemplaria ex authentica synodo in Nicæa civitate Bithyniæ habita vestræ charitati dirigere: quod et in ecclesiastica historia requirentes invenietis. De pascha vero ut scribitis nuntiamus vobis xviii Kalendas Maias nos futura indictione celebrare. Et alia manu: Deus et dominus noster vestram congregationem custodiat, quod optamus, charissimi fratres. Amen.

*Epistola Attici episcopi Constantinopolitani.*

Beatissimis fratribus <sup>b</sup> et coepiscopis Aurelio, Valentino vel cæteris charissimis in synodo apud Carthaginem habita constitutis Atticus episcopus.

Per filium nostrum Marcellum subdiaconum vestrum scripta vestræ dilectionis cum omni gratulatione suscepi, Domino gratias agens quod merui tantorum fratrum benedictione perfrui, domini beatissimi fratres. Scribitis sane, ut verissimos canones apud Nicæam civitatem metropolim Bithyniæ a **169** Patribus constitutos sub fidei astipulatione dirigam: et quis est qui communem fidem vel statuta a patribus firmata suis fratribus deneget? qua de re per eundem filium meum Marcellum subdiaconum vestrum nimium festinantem, sicut statuti sunt in Nicæa civitate a patribus, canones integros ut iussistis direxi, petens ut pro me plurimum vestra sancta congregatio orare jubeat. Et alia manu: Deus noster sanctitatem vestram custodiat, quod optamus, sanctissimi fratres <sup>c</sup>.

XIII. *Exemplaria Nicæni concilii directæ sub die <sup>d</sup> viii Kalendas Decembris post consulatum gloriosissimorum imperatorum Honorii duodecies et Theodosii octies Augustorum, Bonifacio urbis Romæ episcopo.*

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem,

<sup>a</sup> *Æ.*, B. R., t. 1, 2, U., *harum.*

<sup>b</sup> *Æ.*, B. R., T. 1, 2, U., *Dominis sanctis merito beatissimis fratribus.*

<sup>c</sup> *Æ.*, B. R., U., *fratres. Amen.*

omnium visibilium necnon et invisibilium creatorem: et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non creatum, ejusdem <sup>e</sup> cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt <sup>f</sup> cœlestia et terrena [*U.*, *G.*, *terrestria*], qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit <sup>g</sup> et incarnatus est, et homo factus passus est, et resurrexit tertia die, ascendit in cœlum, venturus inde judicare vivos et mortuos: et in Spiritum sanctum. Eos vero qui dicunt: erat tempus quando non erat, et quia ex nihilo factus, vel ex alia substantia vel essentia esse aut mutabilem aut convertibilem Filium Dei dicunt, anathematizat catholica et apostolica Ecclesia.

Cui symbolo fidei etiam exemplaria statutorum annexa sunt, quæ in magna et sancta synodo apud Nicænam civitatem metropolim provinciæ Bithyniæ constituta sunt, et de Græco translata sunt a Philone et Evaristo Constantinopolitano.

#### I. *De his qui se absciderunt aut castraverunt.*

Si quis per languorem a medicis sectus est aut a barbaris abscissus, iste remaneat in clero. Si quis autem sanus se abscidit, istum in clero positum abstinere oportet, et de cætero nullum talium debere promoveri: sicut autem hoc manifestum quod de his qui hanc rem excogitant audentque se abscidere, dictum est, sic eos, qui a barbaris aut a dominis **170** castrati sunt et inveniuntur digni, tales ad clerum applicat canon.

#### II. *De his qui ex ethnicis post baptismum statim ad clerum applicantur.*

Quia multa aut ex necessitate aut aliter festinantibus hominibus facta sunt contra canonem ecclesiasticum, ut homines ex Gentili vita nuper accedentes ad fidem et in parvo tempore catechizati statim ad spirituale lavacrum ducantur, et simul cum baptizati fuerint promoveantur ad episcopatum aut ad presbyterium, bene habere placuit de cætero nihil tale fieri; nam et tempore opus est ei qui catechizatur et post baptismum approbatio amplior: manifesta etenim est apostolica Scriptura quæ dicit: *Non neophytum, ne forte in superbiam elatus in iudicium incidat et laqueum diaboli*; si autem procedente tempore aliquod animæ peccatum inveniat circa huiusmodi personam et convincatur a duobus vel tribus testibus, iste cesset a clero. Si quis autem præter hæc facit, quasi adversus magnum concilium superveniens, ipse periclitabitur de clero.

<sup>d</sup> *Æ.*, T. 1, 2, *G.*, die vii. B. R., die vi.

<sup>e</sup> *Æ.*, *non factum, hominibus Patri, hoc est ejusdem.*

<sup>f</sup> *Æ.*, *sunt quæ in cælo et quæ in terra.*

<sup>g</sup> *Æ.*, *qui propter nostram salutem descendit.*

III. *De a subintroductis mulieribus.*

Interdixit omnimodo sanctum concillium neque episcopum neque presbyterum neque diaconum, neque ex toto eum qui in clero est habere subintroductam secum, nisi forte matrem aut sororem aut etiam thiam<sup>b</sup> aut materteram aut eas solas personas quæ refugiant omnem suspicionem.

IV. *De ordinatione episcoporum.*

Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus qui sunt intra provinciam episcopis ordinari : si autem difficile erit hoc aut propter urgentem necessitatem aut propter longitudinem itineris, omnimodis tres in unum convenientes, consentientibus et his qui absentes sunt episcopis et respondentibus per scriptum<sup>c</sup>, tunc manus impositionem fieri. Confirmatio autem eorum quæ fiunt danda unicuique suæ provincie metropolitanis episcopo.

V. *De excommunicatis.*

De his qui excommunicantur, sive de clero sint sive de laico agmine, ab episcopis per singulas provincias obtineat sententia juxta canones, eos qui ab aliis abijciuntur ab aliis non recipiendos; requiratur autem ne pusillanimitate aut pertinacia aut alia aliqua episcopi molestia excommunicati sint. Ut ergo **171** hoc decentius inquiratur, bene haberi<sup>d</sup> placuit singulis annis per singulas provincias bis in anno concilia fieri, ut omnibus simul episcopia in unam congregatis tales quæstiones inquirantur, et ita qui manifeste offenderunt episcopum rationabiliter excommunicati apud omnes esse putentur, quandiu aut in communi aut episcopo placeat humaniorem pro his ferre sententiam. Concilia autem fiant, unum quidem ante quadragesimam, ut omni pusillanimitate sublata manus mundum offeratur Deo, secundum autem circa tempus autumni.

VI. *De primatibus episcoporum metropolitanorum.*

Antiqui mores obtineant qui apud Ægyptum sunt, Libyam et Pentapolim, ut Alexandriæ episcopus omnium habeat sollicitudinem, quia et urbis Romæ episcopo similis mos est : similiter autem et circa Antiochiam et in cæteris provinciis privilegia propria reserventur metropolitanis ecclesiis. Omnino autem manifestum est illud, quia si quis præter consilium metropolitani factus fuerit episcopus, talem concilium magnum definivit non debere esse episcopum : si vero communi omnium decreto rationabili et secundum canonem ecclesiasticum duo aut tres propter proprias inimicitias contradixerint, obtineat sententia plurimorum.

VII. *De episcopo Æliæ id est Hierosolymitano.*

Quia consuetudo obtinuit et traditio antiqua, ut Æliæ episcopus honoretur, habeat ordinem honoris, salva [U., G., salvata] tamen dignitate metropolitani ejusdem provincie.

<sup>a</sup> In reliquis, præter A., *De commanentibus cum mulieribus.*

<sup>b</sup> In reliquis præter A., *thiam aut eas solas.*

<sup>c</sup> Ex Æ. In A., B. R., E. 3, *spondentibus præscripta. T. 1, 2, per scripturas. G., per scripta.*

<sup>d</sup> In hac voce haberi facta perperam in omnibus

A VIII. *De his qui denominant se Catharos.*

Aliquando vero accedentibus ad catholicam Ecclesiam, placuit sanctæ et magnæ synodo eos ordinatos sic manere in clero : ante omnia autem hæc profliteri ipsos per Scripturam oportet, quod consentiant et sequantur catholica et apostolica dogmata : hoc est et bigamis communicare et his qui in persecutione delapsi sunt, circa quos et tempus constitutum est et dies definitus, ut sequantur in omnibus quæ placuerint catholicæ Ecclesie episcopo aut presbytero. Ubiunque autem omnes sive in castellis sive in civitatibus ipsi soli inventi fuerint ordinati, qui inveniuntur in clero sint in eodem habitu; quotquot autem catholicæ Ecclesie episcopo aut presbytero exstante accedunt, manifestum quia episcopus quidem ecclesie habeat dignitatem episcopi, qui autem nominatur apud eos episcopus presbyteri honorem **172** habeat, nisi forte placuerit episcopo honoris eum nomine frui; sin vero non hoc ei placuerit, providebit locum aut chorepiscopatus aut presbyterii ut in clero omnino esse videatur, quatenus non in civitate duo episcopi sint.

IX. *De his qui ad sacerdotium sine examinatione promoti sunt.*

Si qui sine examinatione promoti sunt presbyteri aut episcopi et cum discutiuntur confessi sunt quæ peccaverunt, vel si ab aliis evincantur et præterea contentibus, contra canonem moti homines manus eis imposuerunt, tales canon non suscipit sed abijcit; hoc enim quod irreprehensibile est defendit catholica Ecclesia.

X. *De his qui negaverunt in persecutione et postea ad clericatum promoti sunt.*

Quicumque ordinati sunt per ignorantiam aut dissimulationem ordinantium, hi qui lapsi sunt, hoc non præjudicat canonis ecclesiastico; cogniti etenim deponuntur [T. 2, deponantur].

XI. *De his qui negaverunt et habentur in laicis.*

De his qui prævaricati sunt præter necessitatem aut præter oblationem facultatum aut præter periculum vel tale aliquod, quod factum est sub tyrannide Licinii, placuit sancto concilio, licet indigni sint humanitate, tamen subveniri eis. Quotquot igitur sincere pœnitent, tres annos inter audientes sint, qui lapsi sunt fideles, et septem annos succumbant : duobus vero annis absque oblatione communiqueent orationibus populi.

XII. *De his qui abrenuntiaverunt et iterum ad sæculum sunt reversi.*

Quicumque vocati sunt ad gratiam et primordia demonstrantes bona deposuerunt cingulum militiæ, postea vero ad proprium vomitum revoluti sunt, ita ut aliqui et pecuniam conferant et beneficiis militiam repetant, isti decem annos succumbant post triennium

Codicibus divisio velint quintum inter et sextum numerum, cum in textum nota marginalis *De concilio celebrando* fuerit iustroducta.

<sup>e</sup> U., G., hoc non præjudicante canone ecclesiastico.

auditionis tempus. In omnibus autem his oportet di- A  
scutere voluntatem et speciem penitentiae; quotquot enim timore et lacrymis et perseverantia et bonis operibus conversionem opere non simulatione demonstrant, isti adimplentes tempus constitutum auditionis orationibus merito communicabunt, et postea licebit episcopo humanius de his aliquid cogitare: qui autem indiscrete tulerunt et ingressum ecclesiae sibi sufficere arbitrati sunt ad conversionem, omne compleant tempus.

**173 XIII.** *De his qui in exitu communionem requirunt.*

De exeuntibus de corpore vetus et canonica lex custodiatur et nunc, ut ii qui mori parantur novissimo juvamine non priventur; sin vero desperati communionem sumpta et oblatione percepta iterum B  
convalescant, sint inter eos qui orationibus tantum communicant. Omnino autem omni morituro petenti sibi dari gratiam episcopus probabiliter ei oblationem contradat.

**XIV.** *De catechumenis lapsis.*

Placuit sanctae et magnae synodo ut triennio audiant tantum, post haec orent cum catechumenis.

**XV.** *De clericis ne de civitate ad aliam transeant.*

Propter grandem tumultum et seditiones quae factae sunt placuit omnimodis auferri consuetudinem quae est contra canonem: si inventi fuerint in aliquibus partibus de civitate ad civitatem migrantes, nec episcopum nec presbyterum nec diaconum [U., G., add. esse] liceat; si quis autem post sancti et magni concilii definitionem tale aliquid attentaverit C  
aut sese dederit negotio, cassabitur omnimodo huiusmodi machinatio, et restituatur ecclesiae in qua aut episcopus aut presbyter aut diaconus fuerat ordinatus.

**XVI.** *De his qui in ecclesiis suis in quibus promoti sunt non morantur.*

Si qui facile se periculis ingerentes, neque timorem Dei ante oculos habentes, neque ecclesiasticum canonem scientes, discedunt ab ecclesia presbyteri aut diaconi aut quicumque sunt in canone constituti, isti nullo modo suscipi debeant ab alia ecclesia; sed omnem eis necessitatem imponi oportet ut ad proprias parochias revertantur: pertinaces autem excommunicatos esse oportet. Si autem aliquis ausu temerario subripuerit ad alterum pertinentem et ordinaverit D  
in sua ecclesia, non consentiente episcopo a quo discesserat clericus qui in canone continetur, infirma sit huiusmodi manus impositio.

**XVII.** *De clericis qui usuras accipiunt.*

Quoniam plures in canone constituti cupiditatem et lucra turpia sectantur, oblique sanctae Scripturae dicentis: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, cum fenerantur alijs centesimas exigunt; iuste statuit sanctum et magnum concilium, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens et aliud quid excogitans turpis lucri **174** gratia, abiciatur a clero et alienus a canone sit.

<sup>a</sup> *Æ., B. R., E. 3, U., G., aut.*

**XVIII.** *De privilegiis presbyterorum.*

Pervenit ad sanctum et magnum concilium, quod in quibusdam locis aut civitatibus presbyteris gratiam [E., T. 2, eucharistiam] diaconi porrigant, quod neque canon neque consuetudo tradidit, ut hi qui potestatem offerendi non habent his qui offerunt porrigant corpus Christi: sed etiam hoc quoque innuit, quod quidam diaconi et ante episcopos contingant eucharistiam. Omnia igitur haec amputentur, et maneat diaconi in proprio ordine, scientes quod episcoporum quidem ministri sunt, presbyteris autem inferiores existant; accipiant autem ex ordine eucharistiam post presbyteros, episcopo eis dante aut presbytero: sed nec sedere eis in medio presbyterorum liceat, praeter canonem enim et praeter ordinem est hoc si fiat. Si quis autem obtemperare noluerit post hanc definitionem, cesset a diaconio.

**XIX.** *De his qui a Paulo Samosateno ad ecclesiam veniunt.*

De Paulianistis refugientibus ad Ecclesiam catholicam definitio prolata est, rebaptizari eos omnino: si qui vero ex eis praeterito tempore fuerint in clero, siquidem sine querela et reprehensione fuerint, post baptismum ordinentur ab episcopo Ecclesiae: sin vero discussio eos minus idoneos invenerit, deponi eos convenit. Similiter autem et de diaconibus et omnino de his qui in eodem canone conversantur eadem forma servabitur. Meminimus autem de diaconissis, quae in eadem specie sunt quia manus impositionem aliquam non habent, ut omnino inter laicas computentur.

**XX.** *De flectendo genua.*

Quoniam sunt quidam qui die dominico flectunt genua et diebus Pentecostes, placuit de hoc sanctae et magnae synodo cunctos in omnibus locis consonanter et consentienter stantes Dominum orare debere.

Expliciunt decreta concilii Niceni.

Praeterea statuitur in hoc concilio, ut diaconissae quae manus impositionem non accipiunt inter laicas deputentur. Igitur episcopi cum de his omnibus prout divinarum legum reverentia poposcerat decrevisset, sed et de observatione paschae antiquum canonem per quem nulla de reliquo varietas oriretur ecclesiis sanctum concilium tradidisset, omnibus rite dispositis Ecclesiarum pax et fides in Orientis atque Occidentis partibus una eademque servata est. Haec de ecclesiastica historia necessario credimus inserenda.

**175** *Scripta Africani concilii ad Coelestinum urbis Romae episcopum.*

Domino dilectissimo et honorabili fratri Coelestino Aurelius, Valentinus, Antonius, Tutus, Servus Dei, Terentius, Fortunatus, Martinus, Januarius, Optatus, Celucius [T. 1, 2, Celesticus], Donatus, Theasius, Vincentius, Fortunatianus [Æ., Fortunatus] et caeteri qui in universali Africano concilio Carthagine adfuimus:

Optaremus si quemadmodum sanctitas tua de adventu Ap[ar]ii lætatos vos fuisse missis per compresbyterum nostrum Leonem litteris intimavit, ita nos quoque de ejus purgatione hæc scripta cum lætitia mitteremus : esset profecto et nostra et vestra modo alacritas certior, nec præprop[er]a videretur quæ adhuc de audiendo quam de auditu præcesserat. Adv[en]iente sane ad nos sancto fratre et episcopo nostro Faustino, conciliū congregavimus et credimus ideo cum illo missum, quoniam sicut per ejus operam presbyterio antea redditus fuerat, ita nunc possit de tantis criminibus a Tabracenis objectis eo laborante purgari; cujus tanta ac tam immania flagitia decursum nostri concilii examen invenit, ut memorati patrociniū potius quam judicium ac defensoris magis operam quam disceptatoris justitiam superarent. Nam primum quantum obstiterit omni congregationi diversas injurias ingerendo, quasi Ecclesiæ Romanæ asserens privilegia et volens eum a nobis in communionem suscipi, quem tua sanctitas credens appellasse, quod probare non potuit, communioni reddiderit, quod minime tamen licuit, quod etiam gestorum melius lectione cognosces. Triduo tamen laboriosissimo agitato judicio, cum diversa eidem objecta afflictissimi quæreremus, vel moras coepiscopi nostri Faustini vel tergiversationes ipsius Ap[ar]ii, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus judex justus, fortis et longanimis magno compendio resecavit. Tetriore quippe ac putidior obstinatione compressa, quæ tantum libidinum cœnum impudentia negationis volebat obruere, Deo nostro ejus conscientiam coarctante [U., G., cohortante] et occulta, quæ in ilius corde tanquam in volutabro crimine jam damnabat, etiam hominibus publicante, repente in confessionem cunctorum objectorum flagitiosorum dolosus negator erupit, et tandem de omnibus incredibilibus opprobriis ultroneus se ipse convicit, atque ipsam quoque nostram spem, qua eum [Æ., quacum] et credebamus et optabamus de tam pudendis posse purgari maculis, convertit in gemitus, nisi quoniam istam nostram mœstitiam uno **176** tantum solatio mitigavit, quod et nos labore diuturnioris quæstionis absolvit, et suis vulneribus qualemcunque medelam, etsi invita hac suæ conscientie reluctantæ confessione, providit, domine frater. Præfato itaque debitæ salutatiōis officio impendiosius deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos in communionem ultra velitis excipere, quia hoc etiam Nicæno concilio definitum facile advertat venerabilitas tua : nam etsi de inferioribus clericis vel de laicis videtur ibi præcaveri,

quanto magis hoc de episcopis voluit observari, ne in sua provincia a communionem suspensi a tua sanctitate præprop[er]e vel indebite videantur communioni restitui? Presbyterorum quoque et consequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua, quia et nulla patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, et decreta Nicæna sive inferioris gradus clericos sive ipsos episcopos suis metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim justissimeque viderunt quæcunque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda, nec unicuique providentiæ gratiam sancti Spiritus defuturam, qua æquitas a Christi sacerdotibus et prudenter videatur et constantissime teneatur; maxime quia unicuique concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suæ provinciæ vel etiam universale provocare; nisi forte quisquam est qui credat unicuique posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam, et innumerabilibus congregatis in concilium sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum iudicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ vel propter sexus vel propter senectutis infirmitatem vel multis aliis intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt? Nam ut aliqui tanquam a tuæ sanctitatis latere militant, nulla invenimus patrum synodo constitutum. Quia illud quod pridem per eundem coepiscopum nostrum Faustinum tanquam ex parte Nicæni concilii exinde transmisisti, in conciliis verioribus quæ accipiuntur Nicæni a sancto Cyrillo coepiscopo nostro Alexandrinæ ecclesiæ et a venerabili Attico Constantinopolitano antistite ex authentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium presbyterum et Marcellum subdiaconum, per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriæ Bonifacio episcopo decessori vestro a nobis per eosdem transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Executores etiam clericos vestros, aliquibus petentibus, nolite mittere, nolite **177** concedere, ne fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis et humilitatis diem Domini videre cupientibus refert, videamus inducere. Nam de fratre nostro Faustino, smoto jam <sup>b</sup> pro suis nefandis nequitias de Christi Ecclesia dolendo **178** Ap[ar]io, securi sanas quod eum in pravitate <sup>c</sup>, ac moderatione tuæ sanctitatis, salva fraterna charitate, ulterius Africa minime patiat. Et alia manu : Dominus Deus noster sanctitatem vestram ævo longiori orantem pro nobis custodiat, domine frater.

<sup>a</sup> Ex Æ., B. R. In A. et reliquis Codicibus : potuerunt.

<sup>b</sup> In omnibus Codicibus : jam dolo : quæ postrema vox ut redundans expuncta est.

<sup>c</sup> Omnes Codices : in pravitate; deest forte ejus, aut in probitate legendum, ut in excusis et in Græca versione.



## CONCILIIUM CARTHAGINENSE SEPTIMUM

DECIM ET OCTO EPISCOPORUM GESTUM ERA QUA SUPRA, CUI ETIAM INTERFUIT PRÆDICTA LEGATIO ROMANÆ ECCLESIAE POST CONSULATUM GLORIOSISSIMORUM IMPERATORUM HONORII DUODECIMI ET THEODOSII OCTIES AUGUSTORUM IV KALENDAS JULIAS.

Carthagine in secretario basilicæ Restitutæ, huic concilio interfuit legatio Ecclesiæ Romanæ, cum Aurelius episcopus una cum Faustino Ecclesiæ Potentinæ provincie Italiæ Piceni legato Romanæ Ecclesiæ, Vincentio Culusitano, Fortunatiano Neapolitano, Mauriano Uziparensi, Adeodato Simidicensi, Pentadio Carpitano, Rufiniano Muzensi, Prætextato Siciliensi, Quodvultdeo Ucrensi <sup>a</sup>, Candido Abbiritano, Galloniano Uticensi <sup>b</sup> legatis provincie proconsularis, Alipio Tagastensi, Augustino Hipponiregensi et Possidio Calamensi legatis provincie Numidiæ, Maximiano Aquiregensi, Jucundo Suphetulensi, Maximiano Suphetano et Hilario Orreocollensi <sup>c</sup> legatis provincie Byzacensæ, Novato Sitiphensi et Leone Optensi legatis provincie Mauritanie Sitiphensis, Ninello Russurrensi, Laurentio Icositano et Numeriano Rusgunmensi legatis provincie Mauritanie Cæsariensis, ab universali concilio iudicibus delectis, adstantibus diaconibus, consedisset, et quibusdam peractis multi episcopi cæterorum peragendorum moras se conquererentur sustinere non posse, et ad proprias ecclesias festinarent; placuit universali concilio ut ab omnibus eligerentur de singulis quibusque provinciis, qui propter alia peragenda residerent: et factum est ut hi adessent quorum subscriptiones eos adfuisse testantur.

**179 I.** *De excommunicatis ut ad clericorum accusationem non admittantur.*

Placuit itaque omnibus, quoniam superioribus conciliorum decretis de personis quæ admittendæ sunt ad accusationem clericorum iam constitutum est, et quæ personæ non admittantur non expressum est; idcirco definimus eum rite ad accusationem non admitti, qui posteaquam excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, sive sit clericus sive laicus, accusare voluerit.

**II.** *De personis quibus clericorum accusatio interdicitur.*

Item placuit, ut omnes servi vel proprii liberti ad accusationem non admittantur, vel omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt, omnes etiam infamie macula aspersi, id est histriones ac turpitudinibus subjectæ personæ, hæretici etiam sive Pagani sive Judæi; sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis propriis accusandi licentiam non negandam.

**III.** *De his qui primum crimen objectum non probaverint ut ad cætera non admittantur.*

Item placuit quotiescunque clericis ab accusatori-

<sup>a</sup> Ex *Æ.*, B. R. In A. *Ugrensi*. T. 2, *Verensi*.

<sup>b</sup> Ex *Æ.*, B. R., E. 3, U. et G. In A., *Utenensi*. In T. 1, 2, *Utinensi*.

<sup>c</sup> *Æ.*, B. R., E. 3, U., G., *Orreocelliorum*.

bus multa crimina objiciuntur, et unum ex ipsis de quo prius egerint, probare non valuerint, ad cætera iam non admittantur.

**IV.** *De personis quæ adversus clericos testimonium dicere prohibentur.*

Testes autem ad testimonium non admittendos, qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt vel etiam quos ipse accusator de sua domo produxerit; ad testimonium autem intra annos quatuordecim ætatis suæ non admittantur.

**180 V.** *De eo quem solo suo testimonio præsumperit episcopus excommunicandum.*

Item placuit, ut si quando episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum atque ille neget, non putet ad injuriam suam episcopus pertinere quod illi soli non creditur; et si scripto propriæ conscientie se dicit neganti nolle communicare, quamdiu excommunicato non communicaverit, ei episcopo ab aliis non communicetur episcopis, ut magis caveat episcopus ne dicat in quemquam quod aliis documentis convincere non potest. Et subscriperunt:

Aurelius episcopus ecclesiæ Carthaginis.

Faustinus Potentinæ provincie Piceni.

Alipius Tagastensis legatus provincie Numidiæ.

Augustinus Hipponiregensis legatus provincie Numidiæ.

Possidius Calamensis episcopus legatus provincie Numidiæ.

Novatus Sitiphensis legatus.

**C** Leo Optensis <sup>d</sup> legatus provincie Mauritanie Sitiphensis.

Maurianus Uziparensis <sup>e</sup>.

Rufinianus Muzensis.

Quodvultdeus Ucrensis.

Candidus Abbiritanus Germanicianorum.

Gallonianus Uticensis.

Maximianus Aquiregensis legatus provincie Byzacensæ.

Jucundus Suphetulensis legatus provincie Byzacensæ.

Hilarius Orreocollensis legatus provincie Byzacensæ.

Maximianus Suphetanus legatus provincie Byzacensæ.

**D** Ninellus <sup>f</sup> Russurrensis legatus provincie Cæsariensis.

Laurentius Icositanus legatus provincie Cæsariensis.

<sup>d</sup> *Æ.*, B. R., T. 1, *Mop'ensis*.

<sup>e</sup> *Æ.*, B. R., *Aziparitanus*.

<sup>f</sup> U., G., *Nunellus*.

Numerianus Rusugumensis a legatus provincie A Philippus presbyter legatus Ecclesie Romanæ.  
Caesariensis. Asellus presbyter legatus Ecclesie Romanæ.

\* T. 2, Rusugumensis. U., G., Gumensis.

## XIX

### CONCILIIUM MILEVITANUM

DUCENTORUM QUATUORDECIM EPISCOPORUM ERA CCCCL, GLORIOSISSIMIS IMPERATORIBUS AR-  
CADIO QUINQUIES ET HONORIO AUGUSTO QUINQUIES CONSULIBUS, VI KALENDAS SEPTEMBRIS.

**161-162** In civitate Milevitana in secretario basilicæ ipsius cum Aurelius episcopus Ecclesie Carthaginiensis in concilio universali conuocasset, astantibus diaconibus, Aurelius episcopus dixit: Quoniam Ecclesie sanctæ unum est corpus, omniumque membrorum caput est unum, vnicuique est volente Domino ut ad hanc Ecclesiam veniremus dilectionis et fraternitatis gratia invitati: unde quæso charitatem vestram, quia ita credendum est quod noster accessus ad vos nec superfluous nec insuavis est cunctis; ideoque pariter quædam de causis fidei, unde nunc quæstio Pelagianorum imminet, in hoc cœtu sanctissimo primitus tractentur, deinde subsequantur et aliqua quæ disciplinæ ecclesiasticæ necessaria existant.

I. *Contra Pelagianos qui dicunt etiam sine peccato mori potuisse Adam.*

Placuit igitur omnibus episcopis, qui fuerunt in hac sancta synodo, constituere hæc quæ in præsentis concilii definita sunt; ut quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret sive non peccaret moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret non peccati merito sed necessitate nature, anathema sit.

II. *Quod iuxta Apostoli testimonium etiam parvuli qui nihil peccati adhuc commiserunt omnes in peccatorum remissionem veraciter baptizentur.*

Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati quod lavacro regenerationis expietur, unde sit consequens ut in eis forma baptismatis in remissionem quidem peccatorum non vera sed falsa intelligatur, **162** anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt*: nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt.

III. *Quod gratia Dei non solum peccata dimittat, sed etiam adjuvet ne committantur.*

Item placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere quæ jam

commissa sunt, non etiam ad adiutorium ut non committantur, anathema sit.

IV. *Quod per gratiam Dei sciamus quid facere debeamus et diligere ut faciamus.*

Item quisquis dixerit eandem gratiam Dei **163** per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non per illam autem nobis præstari ut quod faciendum cognoverimus etiam facere debeamus atque valeamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus: *Scientia inflat, charitas vero ædificat*, valde impium est ut credamus ad eam quæ inflat nos habere gratiam Christi et ad eam quæ ædificat non habere, cum sit utrumque donum Dei et scire quid facere debeamus et diligere ut faciamus, ut ædificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est: *Qui docet hominem scientiam*, ita etiam scriptum est: *Charitas ex Deo est*.

V. *Quod gratia Dei præstat ut lex impleatur, non sicut ait Pelagius facile, quasi sine gratia Dei difficilius possit impleri.*

Item placuit, ut quicumque dixerit ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum iudicium arbitrium facilius possimus implere per gratiam, tanquam, etsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur ubi non ait: *Sine me difficilius potestis facere, sed ait: Sine me nihil potestis facere*.

VI. *Quod iuxta sententiam Joannis evangelistæ nemo sit qui esse possit sine peccato.*

Item placuit, ut quod ait sanctus Joannes apostolus: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus [U., G., seducimus] et veritas in nobis non est*, quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem non oportere dici nos non habere peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus et adjungit: *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et justus qui remittat nobis peccata et mundet nos ab omni iniquitate*: ubi satis apparet hoc non tantum humiliter sed etiam veraciter dici. Poterat enim apostolus dicere: *Si dixerimus quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus et humilitas in nobis non est; sed cum ait: Nos ipsos decipimus et veritas in nobis non est,*

satis ostendit eum qui dixerit se non habere peccatum non verum loqui sed falsum.

**184** VII. *Quod unicuique etiam justo non solum pro aliis sed pro semetipso dicere oporteat.* Dimitte nobis debita nostra.

Item placuit, ut quicunque dixerit: in oratione dominica ideo dicere sanctos *Dimitte nobis debita nostra*, ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores, et ideo non dicere unumquemque sanctorum: dimitte mihi debita mea, sed *dimitte nobis debita nostra*, ut hoc pro aliis potius quam pro se justus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim et justus erat apostolus qui dicebat: *In multis enim offendimus omnes*: nam quare additum est *omnes*, nisi uista sententia conveniret et psalmo ubi legitur: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*: et in oratione sapientissimi Salomonis: *Non est homo qui non peccet tibi*: et in libro sancti Job: *In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam*: unde etiam Daniel sanctus et justus cum in oratione<sup>a</sup> pluraliter diceret: *Peccavimus, iniquitatem fecimus*, et cætera quæ ibi veraciter et humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, hoc non de suis sed de populi sui potius dixisse peccatis, posteaquam dixit: *cum orarem et confiterer peccata mea et peccata populi mei domino Deo meo*, noluit dicere peccata nostra, sed et populi sui dixit et sua, quoniam futuros istos qui tam male intelligerent tanquam propheta prævidit.

VIII. *Quod a sanctis veraciter dicatur*: Dimitte nobis debita nostra.

Item placuit, ut quicumque verba ipsa dominicæ orationis ubi dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*, ita volunt a sanctis dici ut humiliter non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, et non hominibus sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi [T. 1, 2, suis] dicit dimitti velle, et corde dicit quæ sibi dimittantur se debita non habere?

Hucusque de fide capitula contra Pelagianos. Nunc regulæ tractantur ecclesiasticæ.

IX. *Ut in communes causas Ecclesiæ generale concilium congregari oporteat: in privatis vero causis speciale antiscujusque provincie.*

Item primitus placuit, ut non sit ultra fatigandis fratribus anniversaria necessitas, sed quoties exegerit causa communis, id est **185** totius Africæ, undecunque ad hanc sedem pro concilio datæ litteræ fuerint, congregandam esse synodum in ea provincia ubi opportunitas persuaserit: causæ autem quæ communes non sunt in suis provinciis judicentur.

X. *Ut epistolas ad concilium devocandum metropolitanus subscribat et dirigat.*

Placuit etiam petito omnium episcoporum, ut epistolis omnibus de concilio dandis sanctitas tua sola subscribat.

XI. *Ut de hæreticis vel infidelibus quidquid in concilio constituitur a principe impetretur.*

Placuit, ut et illud adversus hæreticos et Paganos

<sup>a</sup> Ex reliquis codicibus præter A in quo desunt verba: in oratione.

A vel eorum superstitiones legati missi de hoc a glorioso concilio, quidquid utile præviderint, de gloriosissimis principibus impetrent.

XII. *Ut preces vel orationes compositæ, nisi probatæ fuerint in concilio, non dicantur.*

Placuit etiam et illud, ut preces vel orationes, seu missæ quæ probatæ fuerint in concilio, seu traditiones [Æ., B. R., U., G., præfationes] sive commendationes seu manus impositiones ab omnibus celebrentur: nec aliqua ex his omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractata [Æ., facta] et comprobata in synodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem vel per ignorantiam vel per studium sit compositum.

XIII. *Ut posteriores anterioribus episcopis deferant, nec inconsultis primatibus suis aliquid agere præsumant.*

Valentinus episcopus dixit: Si permittit bonum patientiæ vestræ, prosequor ea quæ necessaria sunt ecclesiasticæ disciplinæ. Scimus enim in hac Ecclesia Carthaginensi inviolate semper permansisse ecclesiasticam disciplinam, ita ut nullus fratrum prioribus suis se aliquando auderet antepone, sed officiis legitimis id semper exhibitum est prioribus, quod ab insequentibus rationabiliter semper acciperetur: hunc ordinem jubeat sanctitas vestra melius vestris interlocutionibus roborari. Aurelius episcopus dixit: Non decuerat quidem ut hæc repeteremus, nisi forte existerent inconsideratæ mentes quorundam quæ ad hæc statuenda nostros acuerent sensus: sed communis hæc causa est quam insinavit frater et coepiscopus [Æ., B. R., U., sacerdos] noster, ut unusquisque nostrum sibi decretum adeo cognoscat, ut posteriores anterioribus deferant nec inconsultis primatibus aliquid agere præsumant. Qua de re oportet **186** eos qui putaverint spretis majoribus aliquid præsumendum, competenter esse ab omni concilio coercendos. Universi episcopi dixerunt: Hic ordo et a patribus et a majoribus servatus est, et a nobis Deo propitio servabitur.

XIV. *Ut episcopi pro tempore consecrationis suæ litteras ab ordinatibus habeant.*

Deinde placuit, ut quicumque deinceps ordiuntur litteras accipiant ab ordinatoribus suis manu eorum subscriptas, continentes consulem et diem, ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.

XV. *Ut ubi quis primum legerit, ibi permanent clericus.*

Item placuit, ut quicumque in ecclesia primum vel semel legerit ab alia ecclesia ad clericatum non teneatur.

XVI. *Ut pro causis ecclesiarum executores vel ad ocati a principe postulentur.*

Placuit præterea, ut executores in omnibus desideriis quæ habet ecclesia ad imperatore postulentur, qui singulis ecclesiis impertiantur. Placuit etiam, ut petatur a gloriosissimis imperatoribus ut jubeant iudicibus dare petitis sibi defensores scholasticos, qui in actu sint vel in officio defensionum causarum ec-

lesiasticarum, ut more sacerdotum provinciæ ilem A  
 ipsi qui defensionem ecclesiarum susceperint ha-  
 beant facultatem pro negotiis ecclesiarum, quoties  
 necessitas flagitaverit vel ad obsistendum obrepenti-  
 bus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi iudicium  
 secretaria.

**XVII.** *Ut neque dimissus neque dimissa alteri conjun-  
 gantur.*

Placuit quoque secundum evangelicam et aposto-  
 licam disciplinam, ut neque dimissus ab uxore, ne-  
 que dimissa a marito, alteri conjungatur, sed ita ma-  
 neant, aut sibi met reconcilientur. Quod si contem-  
 pserint, ad pœnitentiam redigantur, in qua causa  
 legem imperialem petendam promulgari.

**XVIII.** *De his qui in sua provincia non communicant  
 et alibi communicant.* B

Placuit, ut quicumque non communicans in pro-  
 pria provincia in aliis provinciis vel in transmarinis  
 partibus ad communicandum obrepperit, iacturam  
 communionis vel clericatus excipiat.

**XIX.** *187 De clericis qui apud principem sæculare  
 iudicium aut synodale imploraverint.*

Placuit, ut quicumque ab imperatore cognitionem  
 publicorum iudiciorum petierit honore proprio pri-  
 vetur: si autem episcopale iudicium ab imperatore  
 postulaverit, nihil ei obsit [U., prosit].

**XX.** *Ut sine formatis nemo ad comitatum proficiscatur,  
 et qualiter fiant formatæ.*

Placuit, ut quicumque clericus propter necessita-  
 tem suam alicubi ad comitatum ire voluerit, forma-  
 tam ab episcopo suo accipiat: qui sine formata vo-  
 luerit pergere, a communione removeatur. Quod si  
 alicubi ei repentina necessitas orta fuerit ad comita-  
 tum pergendi, alleget apud episcopum loci ejus  
 ipsam necessitatem, et de hoc rescripta ejusdem  
 episcopi perferat. Formatæ autem quæ a primatibus  
 vel a quibusque episcopis propriis dantur habeant  
 diem paschæ; quod si adhuc ejusdem anni paschæ  
 dies incertus est, ille præcedens adjungatur, quo-  
 modo solet post consulatum in publicis gestis  
 ascribi.

**XXI.** *De episcopis qui id quod repetere poterant præ-  
 termissa synodo invaserint.*

Item placuit, ut episcopi quascunque ecclesias  
 vel plebes quas ad suam cathedram existimant per-  
 tinere non ita repetierint, ut causas suas episcopis  
 judicantibus agant, sed alio retinente irruerint, sive  
 nolentibus sive volentibus plebibus, causæ suæ de-  
 trimentum patiantur: et quicumque hoc jam fece-  
 runt, si nondum est inter episcopos finita contentio,  
 sed adhuc inde contendunt, ille inde discedat quem  
 constiterit prætermisissis iudiciis ecclesiasticis ir-  
 ruisse: nec sibi quisque blandiatur, si a primatu ut  
 retineat litteras impetrarit; sed sive habeat litteras,  
 sive non habeat, conveniat eum qui tenet et ejus  
 litteras accipiat, ut appareat pacifice tenuisse eccle-  
 siam ad se pertinentem. Si autem ille aliquam quæ-  
 sitionem retulerit, per episcopos iudices causa finia-

tur, sive quos eis primatus dederit, sive quos ipsi  
 vicinos cum consultu primatis delegerint.

**XXII.** *De clericis qui de iudiciis episcoporum suo-  
 rum conquerruntur.*

Item placuit, ut presbyteri, diaconi vel cæteri in-  
 feriores clerici, in causis quas haberint, si de iudi-  
 ciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini epi-  
 scopi eos audiant, et inter eos quidquid est finiant  
 adhibiti ab eis ex consensu episcoporum suorum;  
 quod si et **188** ab eis provocandum putaverint, non  
 provocent nisi ad Africana concilia vel ad primatus  
 provinciarum suarum: ad transmarina autem qui  
 putaverint appellandum, a nullo intra Africam ad  
 communionem suscipiantur.

**XXIII.** *De his qui apud hæreticos pœnitentiam acce-  
 perunt quomodo ab Ecclesia recipiantur.*

Placuit, ut quicumque conversus ab hæreticis di-  
 xerit se apud eos pœnitentiam accepisse, unusquis-  
 que catholicus episcopus requirat ubi et ob quam  
 causam apud eosdem hæreticos pœnitentiam susce-  
 perit, ut cum certis documentis hoc ipsum sibi ap-  
 probaverit, pro qualitate peccati, sicut eidem epi-  
 scopo catholico visum fuerit, tempus pœnitentiæ vel  
 reconciliationis decernat.

**XXIV.** *De episcopis negligentibus adversus hæreticos.*

Item placuit, ut quicumque negligunt loca ad suam  
 cathedram pertinentia in catholicam unitatem lu-  
 crari, conveniantur a diligentibus vicinis episcopis  
 ut id agere non morentur; quod si intra sex menses  
 a die conventionis non effecerint, qui potuerit lu-  
 crari ea ad ipsum pertinent; ita sane, ut si ille, ad  
 quem pertinuisse videbantur, probare potuerit ma-  
 gis illius electam negligentiam ab hæreticis ut im-  
 pune ibi sint, et suam diligentiam fuisse præventam  
 ut eo modo ejus cura sollicitior vitaretur, cum hoc  
 iudices episcopi cognoverint, suæ cathedræ loca  
 restituant. Sine si episcopi inter quos causa versa-  
 tur diversarum sunt provinciarum, ille primatus det  
 iudices [U., B., de iudicet], in cujus provincia est lo-  
 cus de quo contenditur: si autem ex communi placito  
 vicinos iudices elegerint, aut unus eligatur aut tres,  
 ut si tres elegerint aut omnium sententiam a sequatur  
 aut duorum; a iudicibus autem quos communis  
 consensus elegerit non liceat provocare: et quisquis  
 D probatus fuerit per contumaciam nolle obtemperare  
 iudicibus, cum hoc primæ sedis episcopo fuerit pro-  
 latum, det litteras ut nullus ei communicet episco-  
 porum donec obtemperet.

**XXV.** *De quibus supra.*

Si in matricibus cathedris episcopus negligens fue-  
 rit adversus hæreticos, conveniatur a vicinis epi-  
 scopis diligentibus, et ei sua negligentia demonstretur  
 ut se excusare non possit; quod si ex die quo con-  
 venit intra sex menses in ejus provincia executio  
 fuerit, et non eos ad unitatem catholicam conver-  
 tendos curaverit, non ei communicetur donec im-  
 pleat: si autem probatum fuerit eum de commu-

<sup>a</sup> Ex *Æ.*, B. R., E. 3, T. 1. In A., T. 2, U., G., *sententia.*

nione illorum fuisse mentium, dicendo eos communicasse quos eo sciente **189** non communicasse constiterit, etiam episcopatum amittat.

**XXVI.** De virginibus quæ infra viginti quinque annos necessitate cogente velantur.

Item placuit, ut quicumque episcoporum necessitate periclitantis pudicitiae virginalis, cum vel petitor potens vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquo in mortis periculo scriptulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem intra viginti quinque annos ætatis, non ei obsit concilium quod de isto numero annorum constitutum est.

**XXVII.** De episcopis qui post acta Carthaginensi synodæ relenti sunt ad reliqua peragenda.

Item placuit, ne diutius universi episcopi **190** B qui ad concilium congregati sunt tenerentur, ab uni-

A verso concilio iudices ternos de singulis provinciis eligi: et electi sunt de provincia Carthaginensi Vincentius, Fortunatianus et Clarus: de provincia Numidiæ Alipius, Augustinus et Restitutus: de provincia Byzacena cum sancto sene Donatiano primatu Cresconius, Jucundus et Æmilianus: de Mauritania Sitiphensi Severianus [T. 4, G., Severinianus], Casiaticus et Donatus: de provincia Tripolitana Flautius, qui ex more legatus unus est missus: qui omnes cum sancto sene Aurelio universa cognoscant, a quo petiit universum concilium ut cunctis sive gestis quæ confecta jam sunt seu epistolis ipsæ subscribat.

Aurelius episcopus ecclesiæ Carthaginensis subscripsit.

Donatianus Teleptensis primæ sedis subscripsit. Similiter et omnes episcopi subscripserunt.

## XX

### CONCILIUM TELEPTENSE

POST <sup>b</sup> CONSULATUM GLORIOSISSIMI HONORII ET CONSTANTII SECUNDO VIII KALENDAS MARTIAS.

Congregato concilio in ecclesia Apostolorum plebis Teleptensis beatus Pater primæ sedis episcopus Donatianus civitatis Teleptensis cum resedisset, consedentibus secum Januario, Felice, Secundo, Cyrio, Victorio, Secundiano, Geta [D., Zeta], Eunomio, Maximiano, Donato, Cresconio, Jucundo, Sapatro, Restituto, Juliano, Maximiano, Tertio, Milico, Maximo, Donatiano, Basilio, Papiniano, Januario, Porphyrio, item Porphyrio, Donato, Juliano, Tuto, Fortunio, Quintiano, Capione et cæteris episcopis, necnon etiam Vincentio et Fortunatiano legatis provinciæ proconsularis ad Byzacenum [D., Byzantium] concilium directis et reliquis; Vincentius et Fortunatianus dixerunt: Etiam cum Thudrum fuisset, sicut mecum recollit memorialis auditio vestra, et epistolas sanctæ memoriæ Siricii sedis apostolicæ episcopi dederemus recitandas, ex quibus enim unam legeret sanctimonium fratris nostri episcopi Latonii, utrasque nos nunc referre suggestio indicat: has recitari douate. Episcopi dixerunt: Recitentur epistolæ venerabilis memoriæ **191** sancti Siricii, ut noverimus quid earum textus contineat. Cum traderentur, Privatus notarius dixit: Exemplum tractatoris episcopi urbis Romæ: Dilectissimis fratribus et coepiscopis per Africam Siricius. Diversa <sup>c</sup> quamvis, cum in unum fratres convenissemus ad sancti apostoli Petri reliquias, per quem et apostolatus et episcopatus in Christo cœpit exordium, placueritque propter emergentes plurimas causas,

quæ in aliquantibus non erant causæ sed crimina, ut de cætero sollicitudo esset unicuique in Ecclesia curam hujusmodi habere, sicut apostolus prædicat Paulus: *Talem Deo Ecclesiam exhibendam, non habentem maculam aut rugam*, ne per <sup>d</sup> alicujus morbidæ ovis afflatum conscientia nostra contaminata videretur, quæ de re meliori consilio id sedit propter eos maxime, qui in præsentis valetudine corporis aut fessæ ætatis causa adesse minime potuerunt, quo perpetua istiusmodi forma servetur litteras tales dari placuit, non quæ nova præferant [D., præferant], sed quia quæ aliquorum ignavia neglecta sunt observari cupiamus, quæ tamen apostolica et patrum constitutione sunt constituta, sicut scriptum est: *State, et tenete traditiones nostras, sive per verbum, sive per epistolam*. Illud certe vestram debet mentem, dilectissimi fratres, vehementius excitare, ut ab omni labe sæculi istius immunes ad Dei conspectum securique veniamus; non enim erimus immunes qui [D., quia] præsumus plebibus, cum scriptum sit: *Cui multum creditum fuerit, plus ab eodem requiretur*. Ergo quoniam non pro nobis tantum sed pro populo credito cogitamus præstare rationem, populum disciplina deifica humilem erudire debemus. Exstiterunt enim nonnulli, qui statuta majorum non tenentes castitatem Ecclesiæ præsumptione violarunt, voluntatem populi sequentes, Dei iudicium non timentes. Ergo ne pari more silentio connivere atque adhibere consensum talibus videamur, unde gehennæ penas

<sup>a</sup> Desumptum est hoc concilium ex Codice Æ., cum desit in A. et reliquis. Collatum est etiam cum optimæ notæ Codice qui in Bibliotheca Regia asservatur sub hoc titulo: *Opuscula sancti Martini Dumienensis*; cujus et variantes lectiones littera D. notabimus.

<sup>b</sup> D. proconsulibus gloriosissimis Honorio et Constantio secundo.

<sup>c</sup> Ex D. in Æ., Diversi.

<sup>d</sup> D., pro alicujus morbidæ ovis afflatu.

possimus incurrere, dicente Domino : *Furem videbas et currebas cum eo et cum adulteris portionem tuam ponebas* : hæc sunt, quæ deinceps intuitu divini iudicii omnes catholicos episcopos expedit custodire.

I. Ut extra conscientiam sedis apostolicæ, hoc est primatis, nemo audeat ordinare : integrum enim iudicium est quod plurimorum sententia consequitur.

II. Ne unus episcopus episcopum ordinare præsumat propter arrogantiam, ne furtivum **192** beneficium præstitum videatur : hoc enim in synodo Nicæna constat esse definitum.

III. Item si quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clerum admitti non debet.

IV. Ut mulierem, id est viduam, clericus non ducat uxorem.

V. Ut is qui laicus viduam duxerit non admittatur ad clerum.

VI. Ut de aliena ecclesia ordinare clericum nullus usurpet.

VII. Ut abjectum clericum alia ecclesia non admittat.

VIII. Ut venientes a Novatianis vel Montensibus per manus impositionem suscipiantur ex eo quod rebaptizant.

IX. Præterea, quod dignum et pudicum et honestum est, suademus [D. studemus], ut sacerdotes et levitæ cum uxoribus suis non coeant, quia in ministerio ministri quotidianis necessitatibus occupantur ; ad Corinthios namque Paulus sic scribit, dicens : *Abstinetis, ut vacetis orationi*. Si ergo laicis abstinentia imperatur ut possint deprecantes audiri, quanto magis sacerdos utique omni momento paratus esse debet, ut munditiæ puritate securus sacrificium offerat aut baptizare cogatur ? qui si contaminatus fuerit carnali concupiscentia, quid faciet ? quid excusabit ? quo pudore, qua mente usurpabit ? qua conscientia, quo merito hic exaudiri se credit,

cum dictum sit : *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum* ? Qua de re hortor et moneo et rogo tollatur hoc opprobrium quod potest jure etiam gentilitas incusare. Forte creditur quia scriptum est : *Unius uxoris virum* : non permanentem in concupiscentia generandi dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integro corpore non admisit qui ait : *Vellem autem omnes homines sic esse, sicuti et ego* ; et apertius declarat, dicens : *Qui autem in carne sunt Deo placere non possunt : vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu*.

**193** Hæc itaque, fratres, si plena vigilantia fuerint ab omnibus observata, cessabit ambitio, dissensio conquiescet, hæreses et schismata non emergent, locus non accipiet diabolus sæviendi, manebit unitas, iniquitas superata calcabitur, charitas spirituali fervore flagrabit, pax prædicata labiis cum voluntate [D., voluptate] animi concordabit, pax utique Dei nostri quam Salvator ipse jam proximus passionis servandam esse præcepit, et hæreditario eam nobis jure dereliquit, dicens : *Pacem meam relinquo vobis*, et dictum Apostoli : *Ut unanimes unum sentientes permaneamus in Christo, nihil per contentionem nobis, neque per inanem gloriam vindicantes, nec hominibus, sed Deo nostro salvatori placeamus*. His præceptis omnibus si fideliter voluerimus obedire, custodiet Dominus corpora nostra et animas nostras in die qua redditurus est unicuique secundum opera sua. Si quis sane inflatus mente carnis suæ ab hac canonis ratione voluerit evagari, sciat se et a nostra communione seclusum et gehennæ pœnas habiturum. Præterea misericordia cum iudicio esse debet ; talibus enim oportet manus porrigere, qui sic currentem non pertrahant in ruinam. Datum Romæ in concilio episcoporum octoginta sub die ix Idus Januarii [D., Kalendas Januarias] post consulatum Honorii Augusti et Bautois.

## GALLIÆ CONCILIA.

### XXI

#### CONCILIIUM ARELATENSE PRIMUM

A PLURIMIS EPISCOPIS GESTUM, IN CIVITATE ARELATO, APUD MARINUM EPISCOPUM, TEMPORIBUS CONSTANTINI IMPERATORIS, EO TEMPORE QUO ETIAM CONCILIIUM NICÆNUM HABITUM EST TRECENTORUM DECEM ET OCTO EPISCOPORUM.

Domino et sanctissimo Silvestro episcopo cæteris **D** uno tempore per omnem orbem observetur et juxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas.

**195** II. *Ut ubi quisque [T. 2 add. minister] ordinatur permaneat.*

De his qui in quibuscunque locis ordinati fuerint ministri in ipsis locis perseverent.

I. *Ut uno die et tempore pascha celebretur.*

De observatione paschæ dominicæ, ut uno die et